

ANTHOLOGIA

VETERUM LATINORUM

EPIGRAMMATUM ET POEMA

EDITIONEM BURMANNIANAM

DIGESSIT ET AUXIT

HENRICUS MEYERUS

TURICENSIS.



TOMUS I.

LIPSIAE,

APUD GERHARDUM FLEISCHERUM 18

In commissis apud Ad. Frohberger.

Anthologia latina primam a Scaligero originem duxit. Postea Pithoeus Catalecta auctiora edidit. At Burmannus, cui Heinsii copiae praesto erant, Anthologiam latinam perfecisse videtur, ita ut futurus editor non tam numerum epigrammatum augere (etsi hoc quoque ei curae erit), quam summam eorum in meliorem redigere ordinem, et ea, quae antiquitatis speciem falso prae se ferunt, expellere debeat. Ac sicuti litterarum Romanarum historia nondum tam exculta et elaborata est, ut de singulis scriptis omnibus facile iudicari possit, quem habeant auctorem, quove sint composita seculo, ita maxime in hac re claudicat Anthologia latina, in qua vetusta novis, falsa veris intermixta leguntur. Conabor igitur demonstrare, ex quibus partibus ea sit constructa, qui auctores epigrammatum, quibus temporibus vixerint, postremo quae vera vel supposita sint.

Anthologia latina tripartita est, quia partim e codicibus manu scriptis, partim ex ceteris litterarum Romanarum auctoribus, partim ex inscriptionibus est conflata.

Quamvis multos Romanorum epigrammata scripsisse sciamus, nullus tamen eorum praeter Martialem et Ausonium aetatem tulit, nec Latinis epigrammatariis idem contigit, quod Graecis, ut diversorum auctorum epigrammata in unum corpus colligerentur, unde Anthologiam graecam etiamnunc pulcherrimis floribus abundare constat. Supersunt tantum Catalecta Virgilii, Catalecta Priapeia, Catalecta Petronii: quae quidem haud contemnendam

Anthologiae latinae partem conficiunt. Tum Burmannus ex diversis codicibus Ovidii, Lucani, Claudiani, Senecae, Martialis, quibus epigrammatum farrago casu addita erat, multa collegit. Quorum alia vetusta atque pulcherrima, alia vero pessima. Unus denique codex omnium maxime commemoratione dignus est, qui plus trecenta poemata continet. Is a Salmasio Salmasianus appellatur, pluresque alii ex eodem fluxere, ut Divionensis, duo Thuanei, Gudianus, de quo a Lessingio in operibus T. XIII. p. 350 ample disputatum est. Horum epigrammatum multa pulchra, plurima vero mediocria sunt, nec secundum post Christum natum seculum excedere videntur, sed quinto vel inferioribus etiam seculis maximam partem sunt referenda. Ego cum viderem, ipsa haec epigrammata, quae ex codicibus illis, quos supra nominavi, venerunt, maxime corrupta esse, atque collationibus Burmanni diffiderem, adii virum optimum Julium Silligium, professorem Dresdensem, quem his copiis eximie instructum esse audiveram, ab eoque paulo post accepi

lectiones 4 codd. Parisinorum, 8236. 8206. 8232. 8205.
3 codd. Guelferbytanorum 703. 704. 705.
Aldinae 1517.
codicis Lindenbrogii (v. Lessingii Opp. T. I. p. 268.)
} in Priapeia

codicis Rehdigerani in Priapeium 83.
codicis Guelferbytani in Antholog. II. 257. 239. III. 177. IV. 92.
codicis Parisini 7927. Dirae. Est et Non. Vir bonus. Rosae. Carmen Octaviani.
cod. Parisini 7936. Est et Non. Vir bonus. Rosae. Carmen Octaviani.
codd. Thuaneorum 8069. 8071 in multa Anthologiae carmina.
codicis Salmasiani.

Adnotavit vero vir doctissimus, pauca tantum huius codicis epigrammata denuo se contulisse, cum

vitiis scateat, atque Burmannus omnes fere lectiones iam excerpserit.

Nec praetereundum est, J. C. Orellium V. C. duos mihi Codices Turicenses tradidisse, qui inter cetera poemata epigrammata aliquot Anthologiae nostrae continebant. His omnibus rebus instructus in constituenda lectione hic illic melius versari poteram, praesertim cum *Addenda* amborum voluminum Burmanni, quae a Wernsdorfio in poetis latinis minoribus (quos, ut obiter moneam, non ex editione Helmstadiensi, sed Parisiensi, quae a. 1824 octo voluminibus prodiit, citare soleo) neglecta mirabar, locupletissimum novae editionis fundum esse intelligerem. Atque hanc Anthologiae partem iis epigrammatis auxi, quae ex codice Gothano Duebnerus in Jahnii Annalibus 1828. VIII. 3. pag. 310. et Ang. Maius in Tomo III. Classicorum Auctorum e Vaticanis codd. editorum 1831. p. 359 in lucem emisit.

Altera Anthologiae pars ex auctoribus litterarum Romanarum excerpta est. Multa enim epigrammata ab historicis, oratoribus, epistolographis, grammaticis, rhetoribus passim afferuntur. Haec omnia bona et acumine plena, et elogia aut ludibria consulum, imperatorum, denique omnium, qui in republica bona aut mala sunt usi fama, continent. Versus ludicri, quorum magnam partem refert Suetonius, praestantissimi sunt atque hoc in poeseos genere Romanos excelluisse indicant. Cum igitur viderem, alia etiam ab auctoribus epigrammata citari, quae a Burmanno praetermittebantur, haec quoque recipienda esse duxi.

Tertia Anthologiae pars ex inscriptionibus nata est. Constat enim, plus quadringenta carmina sepulcralia ex lapidibus descripsisse editores. Quorum alia humanitatis plena, gratia et decore sunt insignia, quibusque nihil ad absolutionem perfectionemque deesse iudico, qualia sunt ep. 1274. 1276. 1281. 1282. 1269. 1243. 1297. 1302. 1311. 1246. 1315. 1331. 1249. 1344. 1349. 1359. 1376. 1402. 1407. 1414. 1418. 1527: maiorem vero eorum partem ne me-

diocria quidem esse fateor. Id carminum genus difficillimum esse puto nec comparandum cum ceteris poetis Romanorum. Inscriptiones enim novum litterarum Romanarum genus faciunt, quod a dictione bonorum auctorum multum distat. Quamquam negari non potest, inscriptiones publicas privatis multo esse praestantiores. Harum enim sermo plerumque rudis est et imperitorum hominum similis, oratio impolita, et carmina, quae in iis leguntur, Horatianis aut Virgilianis multo sunt inferiora. Ne vero quis hoc iudicium meum miretur, meminerit, paucas tantum inscriptiones metricas superesse, quae ad priora reipublicae tempora pertineant, sed maximam earum partem ad infima rerum Romanarum secula referendam esse. Quo autem singulae sint insculptae seculo, in paucis accurate definiri potest, nec aliud quidquam explorare possumus, quam paucis exceptis, quae tempora Scipionum atque Mummii Achaici attingunt, inde a Tiberii aetate usque ad ultima aevi medii tempora collocandas esse. Atque non modo doctis hominibus, sed a quovis malo poeta sepulcralia fingebantur carmina, et dolendum est, illorum pleraque iam dudum interiisse, magnum autem malorum carminum numerum aetatem tulisse. Atque adeo difficultas, quam iis inesse initio dixi, ex eo plerumque oritur, quod auctores, ut rustici, nec certe nec clare nec breviter dicere poterant. Versibus autem saepe ars ac venustas deest, imo vitiis abundant numeri. Cuius rei testes sunt epigrammata 77. 1345. 1502. 1367. 1362. 1591. et in multis iis synaloephen neglectam, breves syllabas arsi thesique productas deprehendas. Haec facile augeri poterant poemata, cum inde a Burmanni temporibus multae novae per totum imperii Romani orbem inscriptiones detectae essent: nec paucas earum recepi, plures que etiam inseruissem, si Bonadae collectio, quae ceteris accuratior est, praesto fuisset. Quamquam enim non raro Bonadam citem, id non ex ipsius libro, sed ex Collectione Pisaurensi facere soleo. Verum delectum quendam adhibendum esse arbitra-

bar. Omisi enim pessimas, in quibus sententia absurda, verba barbara, numeri innumeri erant, quas omnino haud ornamentum, verum dedecus latinae poeseos esse apparebat. Item eas exclusi, in quibus non laetam veterum superstitionem, sed Christianae religionis severitatem vigere sentiebam. Nec voluntas tamen mihi defuit, Anthologiae sacrae appendicem adiiciendi, verum, ne nimius foret liber, verebar. Sed sic quoque aliquot Christiana poemata insunt, quae etsi invitus ceteris immiscuit Burmannus.

Quicumque de Anthologia latina recte iudicare volet, nec bona totam nec mala habere carmina sentiet, sed potius bonis mala intermixta esse, imo plurima ei inesse, quae litterarum Romanarum deliciae vere appellari possint, nec pauca continere, quibus in ceteris poetis nihil fere simile inveniatur, qualia sunt fragmenta Varronis, Laberii, Publii Syri. Deinde eximia inter Virgilii Catalecta extare carmina, ut illud *Sabinus ille quem videtis hospites* et *Ite hinc, inanes, ite, rhetorum ampullae* et plura alia, nemo facile ibit infitias. Atque cum dico, suspicienda esse carmina Priapeia, nemo hoc mirabitur iudicium, qui venustatem artemque eorum intellexerit, etsi ego quoque plerumque dolebam, auctores tantam in sordidissimo argumento expoliendo consumsisse operam. Poemata porro Petronii eo pluris aestimanda esse duco, quia id poeseos genus ab antiqua Romanorum poesi prorsus abhorret, eique, quod nostris temporibus invaluit, simillimum est. Post Petronium nullus fere poeta excelluit, sed nihilominus ii, qui litteras Romanorum in ultimis quoque temporibus perscrutari amant, seriorum aliquot haud contemnendos esse putabunt. Nam Solinus, Pentadius, Alcimus, Ablavius legi merentur. Ac Vandalici poetae, ut Luxorius, Flavius Felix, Florentinus, propter res et mores, qui in eorum poematis describuntur, cognitione maxime sunt digni. Omnino Anthologia haec remotissima secula coniungit, quippe tam antiquissimorum poetarum quam medii aevi carmina hic leguntur. Nam epigrammata in Scipiones

Saturnia, quae primo operi inserui, vetustissimum Romanarum esse constat litterarum monumentum, quibus Ennii, Naevii, Pacuvii, Plauti epigrammata proxime accedunt. Novissima autem poemata, quae in Anthologia leguntur, in seculum duodecimum referenda sunt, ita ut recentiorum Italorum carminibus similiora sint quam antiquo poeseos generi. Inde apparet, totum Anthologia poeseos latinae ambitum contineri. Deinde argumentum epigrammatum multiplex ac varium esse, sponte intelligitur, nec homines ipsos magis inter se differre puto. Ac facile erat, haec poemata in certa dividere capita, praesertim cum id in Anthologia graeca sit factum. Insunt enim pariter erotica, anathematica, epitymbia, epideictica, protreptica, sympotica, scoptica, aenigmata, oracula. Burmannus autem alia usus est partitione, totumque Anthologiae corpus in quatuor classes distribuit, quarum prima de diis, secunda de hominibus, tertia de rebus est, et postrema sepulcralia complectitur. Quamvis vero haec divisio ratione careat, in ea tamen re Burmanni consilium immutare non placuit, cum neque hac neque illa via multum proficiatur. Unam tantum epideicticorum speciem, quae ad statuas picturasve pertinent, hic enumerare volo, quia cognitione eorum, qui hanc Archaeologiae partem tractare solent, digna sunt, et adhuc prorsus neglecta iacent. Ep. 524. 525. 530. 536. 545. 546. 562. 563. 574. 378. 581. 559. 562. 571. 586. 587. 589. 611. 621. 627. 630. 631. 665. 681.

Venio ad auctores epigrammatum. Hi accurata cognitione examinari debent, quia multi, qui vulgo feruntur, suspecti vel ficti esse videntur. Index enim eorum, quem editioni suae Pithoeus praeposuit, tum Saxius in praefatione Onomastici p. XXVII et Fr. Passovius in dissertatione de Anthologia latina (Encyclopaedie v. Ersch. Philologie s. v. Anthologia latina) ediderunt, multis nominibus peccat. Quam sit autem difficile cavere, ne in errores incidamus, ipse quoque expertus sum, cum ea, quae

de hac re nuper in Jahnii Annalibus (Neüe Jahrbücher 1833. II. Supplem. II. Heft. pag. 177—195.) disputavi, iam nunc nonnihil emendari deberent. Cum vero Burmannus Anthologiam non ita digessisset, ut antiquissima ceteris praecederent poemata, et reliqua certo annorum ordine recenserentur, non dubitavi, quin facturus operae pretium essem, si ea, quae quando sint conscripta constat, secundum seculorum seriem collocarem. Igitur in iis, quorum auctores explorare contigit, hoc periculum feci. In eo enim maximum Anthologiae pretium positum esse arbitratus sum, quod totam poeseos latinae historiam inde ab ortu huius artis ad interitum usque percurrere liceret. Deprehendes enim dictionem antiquam numerorumque ruditatem in epigrammatis Saturniis aliisque, quae ab Ennii temporibus proxime absunt; tum elegantia carminum M. Terentii Varronis, Laberii, Publii Syri, Iulii Caesaris, Matii, Virgilii, P. Terentii Varronis Atacini, Domitii Marsi, Bibaculi, Helvii Cinnae, Alphii Aviti, Septimii Sereni delectaberis, at mutatum poeseos genus in Petronio et Appuleio agnosces, et in reliquis defectum ingenii interitumque artis dolebis.

1. *Naevius.* ep. 12. editionis meae. In Anthologia Burmanni II. 219. Hic ab anno urbis 500 ad 550 vixisse videtur. Optimum est epigramma omnium, quae Saturnio numero composita sunt: cetera enim, ut ex epitaphiis Scipionum apparet, rudi stilo et dura oratione insignia.
2. *Ennius.* ep. 15—22. Anth. I. 1. II. 39. 42. 44. 45. 216. 217. III. 155. Ennius natus a. u. 515, diem obiit a. 585. Haec carmina partim metro Saturnio (ep. 22. Anth. II. 42., ut ex versu secundo colligendum puto), partim heroico, partim elegiaco constant. Tria tantum vere epigrammata appellari possunt, ceteri versus sunt maiorum carminum fragmenta. Hedypathetica vel Hedyphagetica Ennii alio nomine a Leutschio Hedypathia appellantur. (Zeitschrift für die Alterthumswiss. 1834. Februar. N. 21. pag. 171.)

3. *Plautus.* ep. 23. Anth. II. 214. Plautus mortuus est a. u. 570. Assentior facile Gellio dicenti: *Dubitassemus an Plauti foret* (hoc epigramma), *nisi a M. Varrone positum fuisset in libro de poetis primo.*
4. *Pacuvius.* ep. 24. Anth. II. 218. Natus est anno circiter 533 et diem obiit nonaginta annos natus. Carmen sepulcrale versu senario factum, quod epitaphiorum Scipionum ruditatem refert.
5. *Porcius Licinius.* ep. 25. 26. Anth. II. 215. III. 246. Is inter aetatem Valerii Aeditui atque Q. Lutatii Catuli vixisse videtur. (conf. Gellius XIX. 9.) Ep. 25, quod trochaicis tetrametris catalecticis constat, initium est *Artis poeticae Porcii,* (Gellius XVII. 21.) cuius non hoc solum fragmentum reperitur, sed alia maiora a Suetonio afferuntur in vita Terentii, quaeque itidem in Anthologiam recipienda erant. Alterum elegiacum poeticum spiritum et sermonem cultissimum indicat.
6. *Valerius Aedituus.* ep. 27. 28. Anth. III. 242. 243. Carmina elegiaca, in quibus studium et imitatio graecorum poetarum perspicitur. Porcius Licinius, Valerius Aedituus et Quintus Catulus iam tunc Graecam Musam Latine loqui coegerunt.
7. *Lucilius.* ep. 29. 30. 31. Anth. III. 108. 136. IV. 355. Natus est a. u. 606. obiit a. 652. Duo priora fragmenta ethici generis, versu heroico scripta, tertium elegiacum. Carmina eius magnum et versatile ingenium indicant, at sermo rudior quam eorum, quos modo memoravi.
8. *Valerius Soranus.* ep. 32. Anth. I. 4. Sic huius poetae nomen scriptum invenimus apud Augustinum de civitate dei VII. 9, ubi legitur: *In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit: qui versus hi sunt Iuppiter* etc. Ex hoc loco elucet, Valerium Soranum aut ante Varronem

vixisse aut certe aequalem eius fuisse. Diverso deinde modo idem poeta appellatur in Mythographo tertio, quem primum A. Maius ac postea Bode edidit: illic enim pag. 152 legimus: *Dicitur iuxta illos versus Valerii Serrani Iuppiter etc.* Varro eundem poetam iterum in libro de lingua latina septimo pag. 318 ed. Speng. citat: *Apud Valerium Soranum Vetus adagio est, P. Scipio. Quod verbum usque eo evanuit, ut Graecum pro eo positum magis sit apertum; nam idem, quod παροιμίαν vocant Graeci.* Quo ex loco fit verisimile, Valerium Soranum non eadem aetate, qua Varronem, vixisse, sed multo ante cum, et Scipionis quidem Africani temporibus. Sed Cicero hanc vagam de aetate Valerii disputationem ad verum reducit, indicans, eum temporibus Crassi et Antonii vixisse. Hic locus in libro de oratore tertio cap. XI. §. 43. extat. Q. Valerius non Romae erat natus, sed Sorae, Latinorum oppido, unde Sorani cognomentum habuit, et filii eius vel nepotes a Cicerone in Bruto c. 46 laudantur. Ac varios scripsisse eum libros apparet. Fragmentum enim illud, quod apud Varronem de lingua latina legitur, ad alium pertinet, quam versus de Iove. Hos enim ex libris, quos epoptidon inscripsit, referente Plinio in praefatione Historiae naturalis, sumtos esse credo. Inscriptio enim horum librorum indicat, arcana quaedam sive mysteria in iis tractari, unde fabula de repentina Valerii morte orta esse videtur, cuius rei mentionem fecerunt Plinius H. N. III. 5. sect. 9. §. 65. et Plutarchus in Quaest. Romanis 61. Quicumque id consideraverit, Valerium Soranum non confundet cum altero Serrano poeta, qui ab Iuvenali una cum Lucano et Saleio aequalibus citatur in satira 7, 80, et a Quintiliano lib. X. 1, 89, si Sarpii in Quaestt. philol. p. 11 et Langii in Vindiciis Trag. Rom. p. 92 probabilis est coniectura. Is igitur Serranus temporibus Neronis vixit, ac miror, Fridericum Osannum (F. O. in Hall.

Litt. Zeit. Egbl. Februar 1834. p. 92.) iudicasse, hunc non diversum esse ab eo, qui ab Augustino commemoratur. Baehrius in libro suo alterum tantum, Iuvenalis aequalem, tetigit pag. 501, Bernhardyus neutrum.

9. *Manilius.* ep. 33. A. III. 245. Extat apud Varronem, et in margine edit. Scalig. legitur *Manlius.* Si certum sit, Manilium auctorem carminis astronomici Augusti temporibus vixisse, a verisimilitudine non abhorrebit dicere, hoc epigramma eidem Manilio tribui posse, si quidem constat, Varronem usque ad annum 727 vitam prorogasse. Ut enim Matii carmina, qui itidem Augusto demum imperante obiit, a Varrone laudantur, ut infra dicemus, sic Manilius ei innotescere poterat. At alii fortasse coniicere malent, Manilii nomen in alterum Matii commutandum esse, eadem fere ratione, qua in Prisciano Krehlii T. I. p. 329 *Matilius* pro *Matio* perverse legitur. — Senarii lepidissimi, quos C. O. Müllerus in Varrone suo p. 130 ita exhibet: *Cascum duxisse cascam non mirabile est,*
Quoniam Caron eas conficiebat nuptias.

10. *M. Terentius Varro.* ep. 34—51. A. 1. 50. 54. 59. 78. II. 18. 207. 211. III. 9. 71. 72. 83. 100. 107. 147. 148. V. 50. Is natus a. u. 638 mortuus est a. 727, octogesimum nonum vitae annum agens. Et extrema etiam aetate viguit senex: Plinius enim auctore st in H. N. XVIII. 5, octogesimum primum vitae annum agentem libros de cultura agri prodidisse Varronem. Haec carmina partim versu senario, partim versu galliambico, alia versibus heroicis vel hendecasyllabis vel elegiacis vel trochaicis aut denique anapaesticis constant, eaque omnia pulcherrima esse, quivis sponte sentiet. Scaliger quoque ea vehementer adamasse videtur, qui plura etiam ex diversis fragmentis huc illuc citatis in Catalectis suis pag. 251 conglutinavit. Adieci duo nova poemata et in Addendis plura vitia, quae intacta reliqueram, sustuli.

11. *Q. Lutatius Catulus.* ep. 52. 53. A. III. 240. 241. Idem orator praestantissimus et consul a. u. 652. Carmina elegiaca, Graecorum poetarum artem imitantia.

12. *Decimus Laberius.* ep. 54. 55. 56. A. II. 212. III. 101. 102. Natus a. u. 647 mortuus est a. 710. Carmina iambica, quae splendorem et virtutes linguae Romanae summopere ostendunt.

13. *Publius Syrus.* ep. 57. A. III. 132. D. Laberii aequalis. Plinius auctor est in H. N. XXXV, 58, Publium, mimicae scenae conditorem, consobrinum habuisse Manilium Antiochum, astrologiae conditorem. Fragmentum mimorum pulcherrimum, versibus iambicis compositum.

14. *Laevius.* ep. 58. Hoc fragmentum Erotopaegnion, quod iambicis dimetris constat, ex Appuleio T. II. p. 461 recepi. De hoc poeta Weichertius scripsit docuitque, cum fuisse aequalem Ciceronis, Varronis Atacini, Cinnae, Calvi.

15. *Pomponius.* ep. 59. A. III. 244. A Prisciano Pomponius auctor epigrammatis esse fertur, a Varrone vero Papinius. Quod si Pomponius verum est nomen, L. Pomponius Bononiensis Atellanarum scriptor, qui circa a. u. 660 vixit, intelligendus. C. O. Müllerus hos versus ita edidit p. 131. *Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica,*
fili Potoni, sesquisenex puerum.
Dice illam pusam; sic fiet mutua muli;
nam vere pusus tu, tua amica senex.

16. *M. Tullius Cicero.* ep. 60—65. A. I. 106. II. 1. 38. 128. 222. III. 56. Natus a. u. 640 obiit a. 711. Tria epigrammata ex graeco sunt versa; illud in Terentium Afrum eo insigne, quod alterum opposuit Iulius Caesar. Id autem, quod in Caninium Rebilum iambicis versibus scriptum fertur, in nullo codice invenitur, sed a Scaligero factum est. Sero vidi, in Anth. V. 40 (ep. 1028) carmen de signis coelestibus extare nullo auctore nominato, quod totum ex Arateis Ciceronis petitum est, ut suo loco adnotabo. Omnia haec epi-

grammata colore poetico destituta. In poesi enim antiqui sermonis ruditatem Cicero reddit, quamvis in orationibus novum dicendi genus invenisset.

17. *Q. Cicero.* ep. 66. A. V. 41. Carmen astronomicum, in quo poetica certe facultate Marcum fratrem non superavit. Multos vero Romanorum astronomica confecisse poemata constat, quales sunt Q. et M. Cicerones, Germanicus Caesar, Gaetulicus, Titus imperator. Epigramma 245, quod Pentadii est, a quibusdam Q. Ciceroni inscribebatur.

18. *Tullius Laurea.* ep. 67. A. II. 156. Libertus Ciceronis. Eidem tria epigrammata in Anthologia graeca tribuuntur.

19. *C. Iulius Caesar.* 68. 69. 70. A. II. 221. III. 10. IV. 92. Natus a. u. 654 occiditur a. 710. Unum tantum, quod de Terentio Afro adversus Ciceronem scripsit, indubitatum Caesaris est. Ep. 69 ab aliis Germanico Caesari, ab Hommeyo vero parum verisimili coniectura Marbodo inscribitur. Ep. 70 suspectum est. Divi Iulii carmina citat Plinius in H. N. XIX. 41.

20. *Q. Valerius Catullus.* Alii Caium vocant, non Quintum, quos reprehendit Paldamus in libro Die Römische Erotik p. 24. Catullus natus est a. u. 667 et diem obiit a. 707 vel 708, si eidem Paldamo p. 26 credere licet. Huic vulgo sine auctoritate codicum Priapeia 85 et 86 vel ep. 1698 et 1699 tribuuntur, sed Priapeium 87 vel ep. 1700 Catulli esse, Terentianus Maurus testatur.

21. *C. Licinius Calvus.* ep. 71. 72. A. II. 47. 58. Natus est a. u. 672, obiit a. 706. eiusque vitam descripsit Weichertius. Haec carmina in Caesarem atque Pompeium invehuntur.

22. *M. Furius Bibaculus.* ep. 73. 74. 75. A. II. 237. 238. 240. Natus est a. u. 651 eiusque vitam descripsit Weichertius. Hendecasyllabi acerbissimi, quos in Valerium catonem grammaticum fecit.

23. *Valerius Cato.* Huic poetae, qui Catulli aequalis erat, Scaliger Diras vindicavit, quae in codicibus

Virgilio inscribuntur, easque sub Virgilii nomine edidi, non negans tamen Virgilii non esse, etsi de auctore amplius deliberandum censeo. Tum Wernsdorfius carmen rustico numero compositum, quod incipit *Lydia, bella puella,* et in A. III. 219 (ep. 989.) legitur, Valerio Catoni mire tribuebat.

24. *C. Helvius Cinna.* ep. 76. A. II. 251. Calvi aequalis. Extat de hoc viro commentatio Weichertii. Hos versus epigramma non esse, verum maioris carminis fragmentum suspicatus est Leutschius. (Zeitschr. f. d. Alt. Wiss. v. Zimmermann 1834. n. 19. p. 158.)

25. *P. Terentius Varro Atacinus.* ep. 77. 78. A. II. 57. V. 48. 49. Is natus a. u. 672 diem obiit anno circiter 717, ut in egregia commentatione colligit Franciscus Wüllnerus. Chorographiae Varronis fragmenta pluribus versibus auxi et accuratius edidi.

26. *Pupius.* ep. 79. A. II. 213. Is non multum ante Horatium vixit, vel potius eius aequalis est. Langius in Vindiciis trag. Rom. p. 26 adnotavit: non bene tentat secundum versum *in me vivo lacrimavit satis* Obbarius in libro Des Horatius erster Brief des ersten Buches. Rudolphop. 1822. p. 62. scr. *iam vivo.*

27. *Caesar Octavianus Augustus.* ep. 80. A. III. 247. Natus a. u. 691 obiit a. 767. Valerius Martialis Augusti epigramma servavit, quod lascivia et obscenitate Catullianis aut Priapeiis simillimum est. Alterum carmen, ep. 858. A. II. 184 in codicibus Augusto tribuitur, sed inepte. Ii enim versus a scholastico quodam poeta sub nomine Augusti de Aeneide Virgilii compositi sunt, quos imperitia hominum ipsi Augusto postea retulit. Ac simile huiusce rei exemplum in Ovidio et Cornelio Gallo infra videbimus.

28. *C. Cilnius Maecenas.* ep. 81—84. A. I. 53. II. 224. 225. III. 149. Hic decessit a. u. 746. Carmina vel numero galliambico, partim hendecasyllabis, partim versibus Priapeiis constant, maxime-

que sunt tersa ac mollia, et Hadriani carminibus simillima.

29. *R. Virgilius Maro.* ep. 85—111. A. I. 63. II. 65. 68. 69. 242. 243. III. 142. 248. 249. 250. 268. 270. II. 198. III. 143. II. 123. 124. 130. 244. 245. 246. 122. 119. 120. V. 141. Dirae extant A. Tom. II. p. 649. Natus a. u. 684 diem obiit a. 735. Haec carmina vel numero heroico vel elegiaco vel variis iamborum generibus constant, iisque multa falsa intermixta leguntur, quae tamen facile agnoscas, cum ea, quae sunt Virgilii, nativo quodam decore sint praedita. Ea enim, quae ab ipso Virgilio originem habere videntur, haec sunt: Ep. 85 in Venerem, carmen magna arte insigne; ep. 86 in Octavium historicum; ep. 89 in C. Annium Cimbrum, quod iucundissimum est, at obscuritate laborat; ep. 90 de mutata studiorum ratione; ep. 92 ad Varium; ep. 93 ad villam Syronis; ep. 94 ad Tuccam; ep. 100 cui sit inscribendum, ignoramus. Alii alium coniecere, sed frustra. Amicus quidam in Iugurtham dictum esse monuit. Ep. 101 ad Antonium Musam; ep. 102 in Sabinum sive Ventidium Bassum, qui ex mulione factus est consul. Parodia Catulliani carminis quarti, omnibus numeris absoluta, et eo magis conspicua, quod pauca tantum huius generis carmina in Horatio, in Priapeiis, in Petronio exstant. Ep. 103 in Noctuinum; ep. 104 in eundem; ep. 105 in Lucium, carmen acerbissimum; ep. 107. Copa. Hoc poema venustate et propria quadam arte tam insigne, ut Virgilio sit maxime dignum. Deinde pleraque carmina Priapeia Virgilio vindicanda esse existimo, tum quia in omnibus codicibus huic inscribuntur, tum quia Virgilianam proprietatem referunt. Cetera autem carmina, quae Virgilio tribui solent, eius non esse arbitror. Ea vero haec sunt: ep. 108. Dirarum liber. Obscurissimum hoc poema intactum reliqui, cum quotidie sperassem, Naekii viri sagacissimi editionem prodituram esse. Ep. 87 in Augustum; ep. 88 in Bathyl-

lum poetam. Andhelmus quoque grammaticus, quem A. Maius in tomo quinto classicorum e codd. Vat. erutorum 1833 edidit, hunc errorem commisit, quod Virgilio tribuit. Dicit enim p. 576: *Vergilius in tetrasticis theatralibus Sic vos non vobis mellificatis apes.* Ep. 91 in calicem Arretinum; ep. 95 in formosum puerum. Idem in aliis codd. Ausonio vel Caesari tribuitur. Ep. 96 in Nisum libertum; ep. 97 in Ballistam. Burmannus id omiserat: sed cum cetera epigrammata, quae apud Donatum leguntur, recepisset, id quoque assumendum esse duxi. Ep. 98 et 99; ep. 106 elegia ad *M.* Valerium Messalam, quae rhetoris alicuius esse videtur; ep. 109 elegia in obitum Maecenatis, quam Pedoni Albinovano tribuit Scaliger: at Pedo si huius carminis auctor esset, non magnam inter poetas elegiacos meritus esset famam. Atque in eo carmine Pedonis, quod infra dabimus, versus sunt multo meliores, oratio melius structa. Ep. 110 de Maecenate moribundo. Poetae scholastici esse puto. Ep. 111. De viro bono. Carmen aevi medii. Praeterea haud maiore iure in aliquot codicibus Virgilio inscribitur Bedae cuculus, ep. 391; et idyllium de rosa, quod A. III. 292. ep. 1023. legitur; porro carmen de littera Y Pythagoricum, ep. 1076. A. V. 140; tum epitaphium Lotharii imperatoris, ep. 828. in ms. Colbertino 6630. Virgilio inscribitur, nec aliter epigramma Vitalis de libidine et vino, ep. 535. in ms. Stuttgardiano.

30. *C. Cassius Parmensis.* ep. 112. A. I. 135. Sed Orpheus Cassii Parmensis antiquitatis speciem mentitur et Antonius Thylesius auctor eius est. Weichertii de vita Cassii Parmensis commentatio prima prodiit a. 1832. Utinam vir doctissimus, qui antiquarum litterarum secreta atque recondita multis adhuc partibus aperuit et illustravit, alteram contexere commentationem ne cunctetur.

31. *Gaetulicus.* ep. 113. Fragmentum huius poetae,

ut in memoriam reduceretur, recepi. Extant eiusdem viri in Anthologia graeca epigrammata.

52. *Horatius.* ep. 114. 115. Adieci duas odas, quae ferebantur esse Horatii, sed insipidum auctorem indicant.

53. *Aemilius Macer.* ep. 116. Huius quoque poetae fragmentum arcessivi.

54. *Caesar Germanicus.* ep. 117. A. II. 103. Decessit a. u. 772. Idem epigramma graecum Germanico in Anthologia Palatina lib. IX. p. 158 tribuitur; nec facile decernas, utrum graecum e latino sermone, an latinum e graeco translatum sit, cum utrumque probabile esse possit. Multa enim carmina in Anthologia graeca leguntur, quae ex poetis latinis conversa sunt. Alii vero utrumque ad Hadrianum Caesarem retulere, alii latinum ab Italo quodum fictum putant. Ep. 69 ab aliis Iulio Caesari, ab Hommeyo Marbodo inscribitur. Alterum carmen Germanici, quod Anth. V. 51 legitur, cum ab Orellio una cum ceteris Arateorum reliquiis optime sit editum, omisi. Germanicum multa reliquisse carmina, veteres tradiderunt. Quorum unum Plinius quoque in H. N. VIII. 42. commemoravit.

55. *Asinius Gallus.* ep. 118. A. II. 241. Is Asinii Pollionis oratoris filius a. u. 746 consul fuit. Conf. Falsteri Memoriae p. 22. In Anthologia graeca duo epigrammata Gallo cuidam inscribuntur, quem Aelium Gallum vel Cornelium Gallum esse vult Iacobsius, at fortasse Asinio Gallo pari iure tribuantur.

56. *C. Abronius Silo.* ep. 119. A. I. 104. Epici carminis fragmentum.

57. *Albius Tibullus.* Huius est Priapeium 82 et 83 vel ep. 1695. 1696. Id enim quod secundo loco dixi, cum a ms. Cuiacii tum a viris doctis et nuper a Paldamo p. 85 Tibullo tribuitur, qui praeterea eum a. u. 700 natum, obiisse vero circiter a. 735 docet.

38. *Matius.* ep. 120. A. III. 189. Nemo adhuc ante Leutschium Matii vitam et scripta exploravit. Is enim demonstrat (Zeitschr. f. d. Alterthwiss. v. Zimmermann 1834. n. 20. p. 165) Matio praenomen Caii fuisse, nec plures Matios scriptores extitisse, sed unum eundemque esse, qui a Varrone de lingua latina p. 95. 96. 161 ed. Mülleri, a Cicerone in epistolis mutuis, a Plinio H. nat. XII. c. 2. §. 6, a Quintiliano III. 1, 18 et a Columella XII. 4, affertur. Atque eodem auctore natus est anno circiter 670, et ultra annum 730 vitam prorogavit. Mimiamborum fragmenta pulcherrima sunt et conferri merentur cum carminibus D. Laberii, M. Terentii Varronis, Publii Syri, qui omnes ile p oeseos habent genus.

39. *Ovidius Naso.* Is natus a. u. 711 obiit a. 770. Unum carmen ipsius Ovidii est, Priapeium tertium vel ep. 1618; reliqua, quae in codicibus ei inscribuntur, nemo non insanus ei tribuere potest. Ep. 833 vel A. II. 172 poetam Christianum potius quam Ovidium refert. A. II. 188. 189. 190. 191. 192. 193 sive ep. 859. 856. 532. 860. 862. 863, quae cuncta Bucolicorum, Georgicorum, Aeneidos Virgilii continent argumenta, in codicibus quidem plerumque Ovidio vindicantur, quibus adstipulabatur Goldastus in Ovidii Nasonis eroticis et amatoriis opusculis Francofurti 1610. p. 11. 59., verum a scholasticis poetis profecta sunt. Cur autem Ovidio inscriberentur, ex eo certe, quod A. II. 192. (ep. 862.) legitur, intelligi potest: ibi enim Ovidius loquens inducitur, unde carmen nomine Ovidii inscribendum erat, at imperitior aetas ipsi Ovidio tribuit. Praeterea in aliquot codicibus ep. 591, Bedae cuculus, et ep. 1026. A. V, 14 eidem tribuitur.

40. *Cornelius Gallus.* Is natus a. u. 688 semet ipse interfecit a. 728. Nihil omnino est, quod huic poetae merito tribuatur. Illud enim, quod A. II. 176. ep. 869 de morte Virgilii legitur, a poeta scholastico sub nomine Corn. Galli fingebatur, qua

re seriores decepti ab ipso Gallo traditum existimavere. Deinde ep. 1565. A. III. 172 de duabus sororibus meretriculis ex Illyrico Gentia et Chloe, quae Romana castra cum matre lena sequebantur, et ep. 1003. A. III. 258 in imaginem puellae, et ep. 989. A. III. 219 *Lydia bella puella* inter Galli fragmenta in Scaligeri opusculis postumis pag. 341, a Pithoeo pag. 422 et Wernsdorfio Poet. lat. T. II. p. 187 excusa sunt. Verum iam Scaliger epigramma, quod primo dixi loco, vetustum non esse docuit, et legentes facile sentiunt, antiquum colorem non habere; alterum imaginem puellae antiquum duco, sed auctor ignotus est; tertium aevo medio originem traxisse, demonstravit Naekius.

41. *Pedo Albinovanus.* ep. 121. A. II. 121. Ovidii aequalis. Is aeque ac Cornelius Severus, qui mox sequitur, Lucanum superasse non videtur. Eidem duae elegiae de Maecenate, quae in codicibus Virgilio inscribuntur, ep. 109. 110. a Scaligero tribuebantur: sed nemo ei hodie facile assentietur.

42. *Domitius Marsus.* ep. 122. 123. A. II. 226. 247. Aequalis Virgilii Horatiique, cuius vitam descripsit Weichertius. Epitaphium Tibulli non pro epigrammate, sed pro fragmento elegiarum Marsi habendum esse censet Scaliger.

43. *Cornelius Severus.* ep. 124. A. II. 155. Ovidii aequalis. Is bellum Siculum descripsit, cuius hoc fragmentum extat, idque demonstrat, auctorem virum meliorem quam poetam fuisse. Conf. Wernsdorfii Poet. T. III. p. 30.

44. *Alphius Avitus.* ep. 125. A. II. 267. Vossius de poetis latinis p. 38 Augusto et Tiberio imperatoribus vixisse eum putat. Conf. Wernsdorf. Poet. lat. T. II. p. 28. Libros Excellentium, quorum reliquiae hic leguntur, iambicis dimetris auctor scripsit. Extant in Anthologia graeca duodecim epigrammata, quae eidem Alphio a Reiskio tributa dicit Iacobsius in catalogo poetarum s. n. Alpheus Mitylenaeus.

45. *Lucilius.* ep. 126. 127. A. III. 150. Is Senecae aequalis. Conf. Wernsdorfii Poet. lat. T. III. p. 18. Alter Lucilius, qui itidem sub Nerone vixit, duos libros epigrammatum graecorum scripserat, ut ex Anthologia graeca constat. Conf. Iacobsii Catal. Poetarum. Ep. 127 iambicum ex epistola Senecae octava petivi.

46. *L. Annaeus Seneca.* ep. 128—139. A. III. 11. 12. 13. 95. 157. 118. 151. 152. II. 249. III. 153. 154. 155. Hic natus a. u. 756 occiditur a. 818. Carmina elegiaca, iambica, hendecasyllabi, quae cuncta multo minorem venustatem et ingenium habent quam reliqua eius scripta. Ep. 132 Burmannus non Senecae, sed Ciceronis esse credidit, quem in adnotatione reprehendi errorem. Sequens ep. 133 deterius est quam ut Senecae tribui possit. Exemi e carminibus, quae vulgo ei inscribuntur, ep. 838. A. II. 228, cum id ab alio in Senecam dictum videatur. Epigrammata de exilio Senecae testantur, hunc philosophum non tranquilliore animo id infortunium tulisse quam Ciceronem atque Ovidium; erat enim, ut ait Plinius XIV. 5., minime utique mirator inanium.

47. *Lucanus.* ep. 839. A. II. 229. Natus a. u. 792 interfectus est u. 818. Non putaram, id ipsius Lucani esse, sed de Lucano a poeta aliquo dictum, antequam viderem, ab Andhelmo grammatico seculi septimi, cuius liber ab A. Maio est editus, ipsi vindicari pag. 529.

48. *Volcatius Sedigitus.* ep. 140. A. II. 223. Plinius auctor est in H. N. XI. 43., Volcatium Sedigitum fuisse illustrem in Poetica. Is poema scripsit de poetis, didascalici generis. Dolendum est, pleraque huiusmodi scripta, quae occasionem darent, accurate et plene de litteris Romanis iudicandi, periisse. Supra Porcii Licinii Artem poeticam tetigimus, quae in simili argumento versata est. Fragmenta Artis poeticae Volcatii tum a Gellio, tum a Suetonio in vita Terentii afferuntur.

49. *Nero.* ep. 141. A. III. 8. Is natus a. u. 790 ad

mortem adigitur a. 821. Si totum carmen Neronis tam pulcros versus habuit, Nero profecto melior poeta quam imperator erat. Alterum Neronis carmen Plinius citat in H. N. XXXVII. 12. Constat autem, cunctos pene imperatores Romanorum versus fecisse, nec pauci inter auctores Anthologiae citantur, ut Augustus, Traianus, Hadrianus, Gallienus.

50. *T. Petronius Afranius Arbiter.* ep. 142—189. A. III. 61. 62. 63. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 54. 55. 126. 127. 128. 129. 134. 137. 138. 139. 140. 141. 158. 225. 226. 254. 255. 257. 256. VI. 90. 91. 93. I. 51. III. 252. 7. 25. 197. 125. 130. 131. 133. 224. 253. I. 90. 99. II. 12. 261. 13. IV. 344. Quando Petronius vixerit, multum dubitatur. Alii ad Neronis aetatem eum retulere, verum sententia Niebuhrii (kleine Schriften p. 337. coll. Bernhardy Röm. Litt. p. 331.), qui Petronium tertio demum seculo Alexandro Severo regnante floruisse putat, eo potior esse videtur, quod eius liber non sermone tantum, sed toto poeseos genere a ceteris, qui usque ad Neronis aevum vixerunt, poetis distat. Sed priusquam de Petronio deque carminibus eius diligentissime et seorsum tractabitur, haec non liquebit quaestio. — Carmina sunt partim heroica, alia elegiaca, alia iambica, alia hendecasyllabi. Hic auctor prae omnibus poetis, qui post Augusti auream aetatem extiterunt, venustate, arte, ingenio eminet, neque ullus alius cum eo conferri potest, eandemque inferioribus temporibus habuisse videtur auctoritatem quam superioribus Virgilius. Conf. Paldami liber Die Römische Erotik p. 85. Idem porro Petronio, quod Virgilio accidit: multa enim aliorum poetarum carmina Catalectis Petronianis inserta sunt, idemque in Virgilianis Catalectis deprehendi supra vidimus. Ea igitur, quae ipsius Petronii esse existimo, haec sunt: ep. 145. 146. 147. 148. 150. 151. 152. 153. 154. 155. 156. 157. 158. 159 160—175. 177. 178. 179.

180. 181. Potest adiici ep. 983., quod A. III. 215 legitur et Priapeium 81 vel ep. 1694. Sunt alia quaedam, in quibus dubito an Petronii sint: ep. 142. 144. 149. 182. Reliqua vero ei non tribuerim: ep. 184. 185. 186. 187. 188. 143. 176. 183. 189. Quorum quinque epigrammata priora Petronius Antigenis Pisaurensis sibi vindicat. Ep. 176 Luxorii esse veri est simile. Ep. 189 epitaphium Petronii cuiusdam Antigenidis est. Excidit vero e schedis meis epigramma, quod A. I. 44 legitur, quodque in nova editione ep. 1615 a. est.

51. *Turnus.* ep. 190. A. VI. 94. Wernsdorfius in Poetis latinis T. II. p. 50., non codicis auctoritate, sed coniectura fretus, colligit hanc Turno tribuendam esse satiram, qui temporibus Vespasiani, Titi, Domitiani vixit.

52. *A. Septimius Serenus.* ep. 191. 192. A. I. 27. III. 57. Hunc ad Vespasiani aetatem retulit Wernsdorfius in Poetis lat. T. I. p. 606. Sed ea res non minus incerta est quam aetas Terentiani Mauri atque Petronii. Versus choriambici arte praestantes.

53. *Rufus Virginius.* ep. 193. A. II. 55. Hic vir alias non ut poeta clarus, sed in bellis, quae Nerone atque Galba imperatoribus gessit, magnam sibi comparavit gloriam.

54. *C. Plinius Caecilius Secundus.* ep. 194. 195. 196. A. II. 55. 253. 266. Is natus a. u. 815 anno circiter 866 diem obiit. Hi versus nec arte nec ingenio commendabiles.

55. *Sentius Augurinus.* ep. 197. A. II. 254. Plinii aequalis. In his hendecasyllabis Augurinus Plinium tamquam vatem summum veneratur: at si Plinium non superavit, non magnam inter poetas famam acceperit.

56. *Sulpicia.* ep. 198. A. III. 251. Sulpicia Domitiani temporibus vixit. Conf. Wernsdorf. Poet. T. II. p. 52. Paldamus D. Röm. Erotik. p. 81. In scenam Anthologiae latinae duae mulieres prodeunt Sulpicia atque Eucheria, de qua infra dicetur.

57. *M. Valerius Martialis.* ep. 199—204. A. II. 94. III. 16. 17. 18. IV. 245. Novum epigramma ex Lessingii Operibus T. I. p. 221. adieci. Natus a. u. 796 decessit anno circiter 854. Conf. Plinii epist. III. 21. Masson vita Plinii p. 112. Incertum est, an ep. 987. A. III. 217, quod in veteri Lexico sub nomine M. Val. Martialis affertur, huius sit poetae. Martiali enim non semel a scholiastis epigrammata tribuuntur, quae aliorum sunt, cuius rei in ep. 71 habuimus exemplum. Ibi enim Calvi versus a scholiasta Lucani Martiali inscribuntur. Contra in ms. Thuaneo Virgilio tribuitur, quod in Martiale lib. I. 19. legitur. Avieni epigramma, ep. 280, in codice Salmasiano Martiali inscriptum est, itemque inter Martialis poemata lib. IV. 90 extat. Id, quod A. III. 261 ad Flaccum est, quia in Martiale lib. I. 58 extat, delendum censui, at eadem de causa ep 204, quod itidem in Martiale iam editum est, omittendum erat. Ac pene omnia horum epigrammatum in prooemio Martialis sive in libro Spectaculorum vulgo edita sunt. Ep. 558, quod Valeriano inscribitur, ex duobus Valerii Martialis epigrammatis conflatum est, unde recens esse colligo. Aliud epigramma in Pantagathum tonsorem, quod in Martiale lib. VI, 52 legitur, a Duebnero tamquam ineditum traditur (in Annalibus Iahnii 1828. VIII. 3. p. 315.).

58. *Valerius Probus.* ep. 205. Ex Addendis Burmanni T. I. p. 759. Hic falso Valerii Probi grammatici, qui aetate Neronis docuit, personam mentitur, sed longe recentior est, ut Lindemannus in corpore Grammaticorum T. I. p. 39 demonstravit.

59. *Traianus imperator.* Is natus a. u. 808 decessit a. u. 870. Epigramma nullum huius viri extat. Quamvis enim ep. 210 in codice Thuaneo inscribatur *Traiani imperatoris de bello Parthico versus decori,* intelligi non potest, quomodo illud carmen hunc titulum prae se ferat, cum de Amazonibus ibi agatur. Accedit, quod ceteri codices

Hadriano vindicant. Extat vero in Anthologia Palatina lib. XI. 418 graecum distichon Traiani.

60. *Aelius Hadrianus.* Capessit imperium a. u. 870 et decedit a. 891, annum agens 63. Ep. 206—211. A. II. 96. 98. 118. 258. IV. 399. Novum èpigramma ex Appuleii apologia T. II. p. 410 recepi; ep. 206. 207. 211. iambicis dimetris constant arteque sunt insignia. Ep. 210 imperatorem grammaticum sapit. Extant in Anthologia graeca epigrammata Hadriani sex.

61. *Florus.* ep. 212—221. A. II. 97. I. 20. III. 114. I. 17. III. 265. 113. 111. 112. 115. 291. Aequalis fuit Hadriani. Carmina partim iambicis dimetris, partim trochaicis tetrametris, partim hexametris constant, cunctaque uni auctori vindicavi, codicis Salmasiani auctoritatem secutus. Burmannus autem ep. 215. 216. 218 Florido inscripsit.

62. *Sulpicius Carthaginiensis.* ep. 222. 223. A. II 174. 194. Argumenta in Virgilii Aeneidem tam levia sunt, ut malus poeta fuisse videatur Sulpicius.

63. *Terentianus Maurus.* ep. 224. A. II. 237. Hi versus, qui in elegantissimo carmine de rhythmis leguntur, delendi erant. Aetas huius poetae adhuc incerta est. Si enim Petronius Alexandro Severo demum imperante vixit, Terentianus quoque, qui Petronii carmina affert, non ante, ut vulgo putatur, carmen composuit.

64. *Appuleius.* ep. 225—230. A. III. 99. 230. 229. 174. 231. Novum adieci ex Apologia eiusdem auctoris, idque nitidissimum. Hic auctor ingeniosus bona epigrammata finxit. Ep. 225 Appuleii non est. Ep. 230 non Appuleii, sed Mureti est teste Scriverio. Bosscha in vita Appuleii T. III. p. 510 auctor est, aetatem eius in Antoninorum, qui ab anno 891 usque ad a. 933 regnum tenuere, aevum incidisse.

65. *Modestinus.* ep. 231. A. I. 31. Fuerat satius, inter auctores ignotos eum recondere, cum non constet, qui sit aut quando vixerit. Modestino itidem argumenta operum Virgilii, A. II. 188, in

aliquot codicibus tribuuntur; verum an idem sit, vehementer dubito. Epigramma enim lepidum et acutum, argumenta vero in Virgilii opera languida.

66. *Gallienus imperator.* Is imperii consors a. u. 1006 factus occiditur a. 1021. Ep. 252. A. III. 258. epithalamium amabile. Quod carminum genus apud Romanos haud infrequens fuit, quippe constat, centum poetarum epithalamia olim extitisse. Conf. Trebellii Pollionis Gallieni Duo c. 11. T. II. p. 213. Wernsdorfius in Poet. lat. T. III. p. 374.

67. *Albus Ovidius Iuventinus.* ep. 253. A. V. 143. Novimus ex codice St. Galli, quem Goldastus contulerat, elegiae auctorem, cuius aetatem Bernhardyus (Röm. Litt. Gesch. p. 135.) eo aperuit, quod Geta imperator quaestiones de vocibus animalium excitare solebat. Spartianus enim in vita Antonini Getae c. 5. T. I. p. 741. dicit: Familiare illi fuit has quaestiones grammaticis proponere, ut dicerent, singula animalia quomodo vocem emitterent, velut agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, ursi saeviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranae coaxant, equi hinniunt, asini rudunt, tauri mugiunt, easque de veteribus probare. — Igitur veri simile est, Ovidium Iuventinum aequalem Septimii Antonini Getae, qui a. u. 965 a Caracalla fratre occisus est, fuisse. Duas elegiae recensiones extare, in adnotatione dixi, et satius fuerat, utramque legentibus tradere, quam tertiam ex duabus constituere, quae nullam habet auctoritatem. Id vero fecit Wernsdorfius, quem sequebar, quia tunc Goldasti librum nondum nactus eram.

68. *Solinus.* ep. 254. A. V. 113. Hoc Lucretiani carminis granditatem feliciter imitatur fragmentum, unde Varroni Atacino tribuebat Scriverius. Salmasius scribit, Solinum ducentos fere annos post Plinium vixisse, ita ut aetas eius circa annum millesimum u. c. vel 247 p. Chr. inciderit.

69. *Hosidius Geta.* ep. 255. A. I. 178. Aequalis Tertulliani, qui Septimio Severo et Caracalla impe-

ratoribus, qui ab a. u. 946 ad a. 970 regnum tenebant, vixit. — Cum enim Tertullianus tradidisset, ab Hosidio Geta Medeam fabulam ex versibus Virgilianis compositam esse, non dubitarunt editores, hunc librum ei tribuere, quamquam in codicibus nomen auctoris deesset. Haec enim Medea nihil nisi cento Virgilianus est, at in codicibus tam laceratus, ut multi versus longiores brevioresve sint. Auctores vero centonum e poetarum numero eximendos esse patet, cum verba tantum aucupentur, nec sententiam respiciant.

70. *Publilius Optatianus Porphyrius.* ep. 236—240. A. III. 89. 103. Tria nova adieci. Is Constantino imperante, qui ab a. 1059 ad a. 1090 vel ab a. 306 p. Chr. ad a. 337 regnavit, vixit. Constat enim, Constantini vicennalia a. 326 carmine Panegyrico eum celebrasse. Epigrammata versibus constant anacyclicis, in quibus sententia nulla aut inepta est, verba autem artificioso quodam ordine aliquid dignitatis habent.

71. *Pentadius.* ep. 241—252. A. I. 102. 139. 140. 141. III. 88. I. 142. 148. 165. II. 203. III. 93. 105. V. 69. Pentadius idem esse fertur, cui Lactantius institutionum divinarum epitomen inscripsit. Lactantium trecentos fere annos post Christum vixisse constat. Pentadius haud contemnendus poeta est, etsi interdum arte lusuque verborum compensavit ingenium. Ep. 241 duobus locis in addendis correxi. Excidit praeterea e schedis meis epigramma Pentadii, quod A. I. 98 legitur: quare in appendice ep. 1614 reducendum duxi.

72. *Citerius Sidonius.* ep. 253. A. II. 257. Torremuzza hoc epigramma, verborum lusu insigne, suspectum esse dicit. Citerius Ausonii familiaris, qui a. u. 379 p. Chr. sive a. u. 1132 consul erat.

73. *Latinus Alcimus Avitus Alethius.* ep. 254—260. A. II. 173. 177. 178. III. 211. 212. 259. V. 150. Wernsdorfius egregie de hoc poeta disputavit docuitque, eum esse, quem inter professores Burdigalenses celebravit Ausonius. De aetate eius

dubitare non licet, cum Hieronymus in chronicis ad a. Christi 360 dicat: Alcimus et Delphidius rhetores in Aquitania florentissime docent. Carmina sunt vel elegiaca vel heroica vel hendecasyllabi, maioremque merentur laudem quam multa alia poetarum aequalium. Tunc enim temporis multos extitisse poetas constat, nec tamen Romae ii floruerunt potissimum, sed in provincia Galliarum. Ep. 259 epithalamium est, quod venustate epithalamio Gallieni imperatoris aemulatur. Ep. 260 an Alcimi sit nescio.

74. *Ablavius.* ep. 261. A. II. 114. Is consul fuit a. u. 1085 sive a. 331 p. Chr. Epigramma in Constantinum Magnum acumine plenum. In Anthologia graeca Palatina lib IX. ep. 762. Ablabio cuidam epigramma tribuitur, quem eundem esse suspicemur.

75. *Aemilius Magnus Arborius.* ep. 262. A. III. 275. Is rhetor Tolesanus Ausonio annis et consanguinitate coniunctus fuit. Elegia languida.

76. *D. Magnus Ausonius.* Is consul fuit a. p. Chr. 379 sive a. u. 1132. Etsi multa in editionibus Ausonii leguntur carmina, quae in Anthologia quoque extant, ut ep. 583. 617. 95. 1023. 1032. 284. 1031. 1052. 111. 1078. A. I. 43. 74. III. 268. 292. V. 45. 47. 85. 86. 141. 142., attamen nullum est, quod non aliorum potius poetarum esse videtur.

77. *Palladius.* ep. 263. A. I. 136. Hic rhetor aequalis erat Latini Alcimi. Carmen eius versibus Archilochiis constat.

78. *Symmachi.* ep. 265—273. A. II. 137. 143. 144—149. Haec epigrammata vulgo Symmacho inscribuntur, sed tres eorum auctores sunt. Primus enim, qui ep. 268. 270. 271. 272. 273. composuit, est L. Avianus Aurelius Symmachus, Q. Aurelii Symmachi oratoris pater. Is a. u. 1117 vel a. 364 p. Chr. praefectus urbi erat. Alter, cui ep. 266. 267. 268. (id novum est) tribuenda sunt, Q. Aurelius Symmachus filius est. Is a. u. 1123 sive a. p. Chr. 370 proconsul Africae, a. 384

praefectus urbi, a. 591 vel a. u. 1144 consul fuit. Tertius, cuius superest ep. 265 in Boethium, Q. Aurelius Anicius Symmachus, qui una cum Boethio filio a. 522 p. Chr. consulatum tenuit, esse videtur. Cuncta haec Symmachorum carmina invita Minerva sunt facta.

79. *Rufinus.* Rufino ep. 256. A. III. 89 versus anacyclici de amore in codice Divionensi tribuuntur. Is idem esse putatur, qui libellum de metris, quem grammaticis Putschii insertum esse constat, composuit. Atque e iunioribus grammaticis fuit, et aevo circiter Theodosiano floruit. Nec cum Rufino, Symmachi amico, orientis aulae praefecto, quem Claudianus poeta duobus libris insectatus est, confundendus, sed eo minor natu est. (Conf. Fabricius in Bibl. Med. et inf. aetatis v. Rufinus T. VI. p. 150.) Verum auctoritatem codicis Salmasiani secutus illud poema Optatiano Porphyrio vindicandum censui. Eidem porro Rufino alterum carmen, Pasiphaes fabulam Horatianis metris enarrans, quod A. III. 252 (ep. 997.) legimus, a Dousa, Goldasto, Fabricio biblioth. lat. T. III. p. 417 ed. Ernest., Wernsdorfio in Poet. T. II. p. 587 sine auctoritate codicum tribuitur.

80. *Sedulius.* ep. 274. A. V. 115. Is Theodosii iunioris, qui a. u. 1153. sive a. 400 p. Chr. natus a. u. 1203 vel a. 450 p. Chr. decessit, temporibus vixit. Epigramma in tabula orbis terrarum iussu Theodosii facta versatur.

81. *Augustinus.* ep. 275. 276. A. III. 144. Novum addidi ex codice Gothano Duebneri. Augustinus a. p. Chr. 430. 75 annos natus mortem obit.

82. *Rufus Festus Avienus.* ep. 277. 278. 279. 280. A. I. 169. 79. III. 58. 59. Wernsdorfius in Poet. T. V. p. 22 circa medium quarti post Christum seculi (350) vixisse Avienum putat. Ep. 279 languidum est. Ep. 280 inter Martialis poemata vulgo legitur, sed nimium quantum ab eius ingenio abhorret.

83. *Claudius Claudianus.* Is auctor Theodosio Magno

hoc bello exceperat, diis suis hominibusque testatus est; adfigens titulum in templo Tarentini Jovis, in quo haec scripsit etc. Conf. Niebuhrii Hist. R. T. III. p. 560. „Orosius hat dieses Epigramm in einer sehr alten lateinischen Uebersetzung erhalten, nämlich in zwey Saturnischen Versen, deren erster in sechs Füssen einen Hexameter anzudeuten sucht, der zweyte den kürzern Vers. Verfasser des griechischen Epigramms war vermuthlich Leonidas von Tarent, der Pyrrhus aus seiner unglücklichen Vaterstadt folgte, und die Inschriften auf seine letzten Siege dichtete. Orosius bezieht das Epigramm ausdrücklich auf die Schlacht von Heraklea; sonst lässt sich kaum begreifen, wie der epirotische König sich hier theilweise besiegt nennen konnte: es passt ohne Vergleich besser auf die Schlacht von Asculum: am eigentlichsten aber in die Zeit, welche er nach der Schlacht in der arusinischen Ebene noch zu Tarent verweilte." —

1. *antehac*] *antidhac* Niebuhrius correxit.

15.

Anth. I. 1. ex Apuleio de deo Socratis p. 121. ed. Ondend. et Martiano Capella I. I. p. 11. ed. a. 1577. — Hi versus Annalibus Ennii I, 162. sunt inserti pag. 34 ed. Lipsiens.

1. *Vesta Minerva*] *Juno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars* vulgo. Hi duodecim dii, sex mares et totidem feminae, maiorum gentium dii sunt vel dii genitales. Conf. Bentl. ad Hor. Carm. Saec. 16.

16.

Anth. II. 44. Illud *Hic est ille situs* sumtum est ex Cicerone de legg. II, 22, 57: cetera apud Senecam in epist. 108 leguntur. Olim hoc epigramma in libris Ciceronis de Republica legebatur.

2. *quivit*] *quibit* vulgo

2. *operae*] pronunciandum est *oprae*, sed Ennius plene vocem scripsit. — *oprae* vulgo.

17.

Anth. II, 45. Duo versus priores apud Ciceronem in Tuscul. V, 17, 49. leguntur. Paulo variatus versus primus in Genethliaco Panegyrico Mamertini c. 16 invenitur. „*Quod ait ille Romani carminis primus auctor A sole exoriente adusque Maeotidas paludes* — —." Duo postremi versus in Ciceronis libris de republica olim legebantur, nunc a Seneca in epist. 108 et Lactantio in Institt. I, 18. afferuntur.

1. *supra Maeoti' p.*] Orientis terminus Pontus esse antiquitus credebatur, ut Bentleius ad Lucret. VI, 1106 annotat: inde a Ponto Occidens esse coepit, qui ab Ennio paludibus Maeotidibus significatur.

3. *si fas endo*] *si fas caedendo coelestia scandere quoiquam est* vulgo. *escendere cuiq.* sic A. Maius ad Cic. de rep. p. LIII. prob. Beiero in Jahnii Ann. liter. I. 1. p. 89. *escendere cuiquam est* Bunemannus: sed *est* languet.

18.

Anth. II. 216. Adferuntur hi senarii a Nonio Marcello ex Ennii lib. III. Satyrarum in *propinare* et *medullitus* p. 33 et 139 ed. Merceri.

19.

Anth. II. 217. apud Ciceronem in Tuscul. I, 15, 34.

1. *Enni imaginis*] si scribi liceret *Ennii imaginis* (sicuti Wakef. ad Lucret. I, 26. citat), versus nihil haberet offensionis. Sed multa eiusmodi exempla ex ipso Virgilio collegit Wagnerus in Quaestionibus Virgilianis XI. 3. T. IV. p. 420. Ramshorn Lat. Gr. p. 1073.

3. *nemo — faxit*] itidem leguntur in Cic. Tuscul. I, 49, 117. et Cat. Mai. c. 20, 73.

funera fletu] *funera fletum* Scalig. improb. Orellio in Add. ad Tuscul. p. 173. et ad Scholas Wolfianas p. 343. *funera lessum* Bentleius ad Cic. Tusc. I, 49.

4. *Cur? volito*] *cum volito* Scal.

20.

Anth. III, 135. ap. Wernsd. T. I. p. 187. (239.) ex Apuleii Apologia T. II. p. 484. ed. Oud. *Q. Ennius, Hedypathetica qui versibus scripsit, innumerabilia piscium genera enumerat, quae scilicet curiose cognoverat. Paucos versus memini, eos dicam — — Alios etiam multis versibus decoravit, et ubi gentium quisque eorum inveniatur, ostendit, qualiter assus aut sussulentus optime sapiat: nec tamen ab eruditis reprehenditur.* — Carminis Enniani index in codicibus varie legitur, *hediphagitica* vel *aedesphagetica* vel *edesphagitica*, unde finxerunt editores, *Hedypathia*, *Edesta* vel *Phagica*, *Hedyphagica*, *Hedypathetica*, *Phagetica*, *Phagica*, *Phagesia*, *Addephagia*, *Addephagica*, ἰχθυοφαγητικά, vel denique ἡδυφαγητικά, idque ipsum proxime a codd. discedit: quare praeferendum videtur. Archestrati carmen epicum, quod in latinum vertit Ennius, itidem dissimili modo inscribitur: *Ἀρχέστρατος ἐν τῇ, ὡς Χρύσιππος ἐπιγράφει, Γαστρονομίᾳ, ὡς δὲ Λυγκεὺς καὶ Καλλίμαχος, Ἡδυπαθείᾳ, ὡς δὲ Κλέαρχος Δειπνολογίᾳ, ὡς δ' ἄλλοι Ὀψοποιΐᾳ* — Athenaeus I, 7. p. 8. Dind. —

1. *Ut Clupea*] *at Clupeae* Turnebus. Scal. B. Wernsd. — Bosscha codd. lect. cum Salmasio in Plin. Exercitt. p. 794. reduxit. *mustela marina Clupea* i. e. a vel e Clupea.

2. *Mures*] Archestratus ap. Athenaeum III, 44. p. 212. *Τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους, ὄστρεια δ' Ἄβυδος.* — *Aenid aspra* Bosscha cum Salm. *Mures sunt Aeni aspera ostrea plurima A.* mss. *Mures sunt Aeni, ast aspra ostrea p. A.*, Turneb. B. Wernsd., quod durissimum est.

3. *Mytilenae*] versus ab anapaesto incipit, ut v. 9. Archestratus cecinit:

Τὰς ἄρκτους Πάριον, τοὺς δὲ κτένας ἡ Μυτιλήνη,
πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει καὶ ἄπλατα μετ' αὐτῶν.

Ms. Rom.: *mus mitylenae est pecten caradrumque apud ambraciae finis.* ms. Flor.: *mitylene est pecten caradrum apud ambraciae fines.*

Turneb.: *Mus Mitylenae est, pecten aperque apud Ambraciae amnes.* Casaub.: *Mitylenae est pecten caprosque apud Ambracienses.* Scalig.: *Mitylus et pecten charadrusque apud Ambraciae amnes*, et sic vulgo. Ego Salmasii et Bosschae rationem amplexus sum, in eo tantum discedens, quod *Mytilenae* scripsi, non *Mitylenae.* Columna: *Est Mitylenae pecten aperque apud Ambraciae amnem*, quem secutus est Wernsd. Salmasius *charadrum Ambraciaï* pro sinu Ambracio positum dicit.

4. *Brundusii*] hoc versu praeceptum Bentleianum de simplici *i* genitivi substantivorum in *ius* et *ium* desinentium labefactari, Forbigerus ad Lucretii scopulum celeberrimum in lib. V, 1004.

Inproba navigii ratio tum caeca iacebat

annotavit. Ac totam Bentleii observationem fallacem esse indicarat Im. Huschkius in Dissert. de C. Annio Cimbro p. 43. Sed fidem restituit labantem Suerdsioeus in *Vindiciis Praecepti Bentleiani*, quas *de genitivo substantivorum in ius et ium desinentium* a. 1832. Rigae et Dorpati edidit. Is versum, quem tractamus, optime emendat *Brundusio sargus bonus est*, comparans Lucilii fragmentum apud Festum v. *sargus: quem praeclarus helops, quem Aegypto sargus movebit*, et Plaut. Merc. V, 2, 99. *video ibi hospitem Zacyntho.* Nec aliter in primo huius carminis versu *Clupea* intelligitur. Jo. Val. Franckius coniecit *Brundisi* producta syllaba penultima, Graecorum *Βρενδήσιον* advocans. Hanc ego rationem minus probo.

magnus erit si] Archestratus apud Athenaeum VII, 117. p. 701.

τῆμος ἔχειν ὀπτὸν σαργὸν τυρῷ κατάπαστον,
εὐμεγέθη, θερμόν, δριμεῖ δεδαϊγμένον ὄξει·
σκληρὸς γὰρ φύσει ἐστίν.

5. *apriclum*] piscis apriculus in eadem Apuleii Apologia p. 473. laudatur.

6. *Surrentid* Salm. *Surrenti telopen facemas gl. apud Cumas quid* ms. Flor. *Surrētia elopē — apud Cumas quid* ms. Pith. *Surrētiā elopē fucernas claucum apud Cumas quid* ms. Dorv. — *ad Cumas* Salm. *apud C.* mss. Bosscha *apud* aliunde insertum et legendum putat *glaucum Cumis. Quid* etc. — *fac.* Bosscha edidit *face*, ne contra regulam grammaticorum *fac* corriperetur; sed regula ista falsa est, ut praeter alios Ramshornius docuit Lat. Gr. p. 1042.

9. *melanurum*] Schraderus, ne anapaestus in primo heroici versus pede sit, correxit

tum turdum, merulam, melanurum umbramque marinam

in Add. T. I. p. 744. Sed supra in tertio quoque versu ab anapaesto *Mytilenae* ordo incipit pedum. Nec Hermannus in Elem. Metr. p. 347. hoc fieri negat, ipsumque hunc versum pro exemplo eius rei attulit. Accedit Bosscha.

10. *polypu'*] Archestratus apud Athenae. VII, 107. p. 695.

πούλυπος ἔν τε Θάσῳ καὶ Καρίᾳ εἰσὶν ἄριστος,
καὶ Κερκύρα τρέφει μεγάλους πολλούς τε τὸ πλῆθος.

In *polypo* prima syllaba longa est, quod propter observationem Casauboni, qui eam brevem esse dicit, moneo.

colvaria p. atarnae] *atarna* vel *acarne* piscis nomen ap. Plinium XXXII, 11. Lucilius ap. Gellium X, 20.

abdomina thynni

advenientibu' priva dabo cephaleaque atarnae,

ubi *cephalea* eadem sunt, quae Ennius *calvaria* dicit. Salm. vel *pinguia acarne* vel *pinguia acarnae* proposuit. Busscha annotat: *adhucdum servo pinguia Atarnae* (quod vulgo legitur), *licet non displiceat acarne cum Salmasio.* Alii enim Atarna oppidum esse voluerunt Ionum, licet id potius 'Αταρνεὺς a scriptoribus graecis vocatur.

11. *purpura* Salm. *purpuram* mss.

muriculi] *murriculi* ms. Flor. *marriculi* ms. Pith. *matriculi* ms. Dorvill. muriculi a Plauto musculi vocantur.

murex] *mures* mss.

21.

Anth. II. 39. Hi versus ad Anthologiam hanc non pertinent, cum ex Annalibus Ennii sint excerpti. Conf. fragm. Annall. p. 133. ed. Lips.

1. *desine* ex Cicer. de orat. III, 42. ubi legitur *Desine, Roma, tuos hostes* et *Testes sunt campi magni.* atque ex lib. de finib. II, 32, 106. *Desine, Roma, tuos hostis,* reliquaque praeclare *Nam tibi munimenta mei peperere labores,* ut Orellius edidit.

hostes] *tuos postes* vulgo, quia Scalig. supplebat *Desine, Roma, tuos postes ornare tropaeis.* Sed Columnae supplementum mea quidem sententia Scaligeranum longe superat: *Desine Roma, tuos hostes horrere superbos.*

2. *nam tibi munimentum* Muretus Var. Lect. XI, 1. Orellius. *namque tibi monumenta* vulgo.

3. *testes*] Nonius Marcellus p. 66. *Politiones agrorum cultus diligentes, ut polita omnia dicimus exculta et ad nitorem deducta. Ennius Sat. lib. III. Testes sunt lati campi, quos gerit Africa terra politos.* Unde Bondam in Var. Lectt. p. 333 ex ms. Dorvilliano Nonii versum Ennii sic constituit:

Testes sunt campi, quos Africa terra politos

ipsa gerit —

Nec aliter Ciceronis verba supplenda esse dicit, neque eo se moveri, quod Nonius hunc versum ex Ennii satyris, non ex annalibus citet, cum plurimos eiusmodi errores admisisse eum constet. Bothius vero eadem verba sic collocat:

testes sunt

Lati (vel *magni*) *campi, quos gerit Africa terra politos*

in Poet. Scen. V. I. p. 60.

22.

Anth. II. 42. apud Trebell. Poll. Divus Claud. 7. T. II. p. 367. Hoc quoque vulgo in Annalibus Ennii legitur, ut in edit. Lips. p. 133.

1. *quantam*] *O quantam statuam faciet, quantamque columnam*
Romanus populus: res quae ac tua gesta loquatur.
Columna. Aliter Bothius, qui hos versus trochaicos esse vult, in Poet. Scen. V. 1. p. 60.

Quantam statuam faciet populus Romulus, quantam columnam,
quae res tuas gestas loquatur?

Hi versus, si revera versus sunt, Saturnio potius numero sunt conscripti: secundus certe eorum prorsus cum regula illius metri convenit, nec aliter iudicavit Passowius (v. Encyclopaedie von Ersch u. G. s. v. Anthologia latina).

23.

Anth. II, 214. Leguntur versus in Gellio I, 24. „*Epigramma Plauti, quod dubitassemus an Plauti foret, nisi a M. Varrone positum fuisset in libro de poetis primo.*"

1. *mortem aptus* mss. Reg. Rotterod. Gron. B. *mortem adeptus* ms. Ursini. *postquam est morte datus* alii mss. Sealig. Schneider Lat. Formenlehre T. I. p. 201., ita ut *morte* dativi sit forma pro usitata *morti.*

2. *deserta: dein risus* etc. mss. Ultima primae vocis syllaba in arsi et ante maiorem interpunctionem producta est. *deserta: hinc ludus, risusque ioeusque* vulgo ex correctione. Cum vero Gellius ipse hoc epigramma male concinnatum putaret, vitium metri non codicibus, sed auctori tribuere debemus. Abest enim a toto epigrammate Plauti ingenium. Orellius in Eclogis p. 258. edidit *comoedia luget Scaenâ desertâ: dein —*

3. *numeri innumeri*] i. e. soluti comoediae versus. B. Tollius ad Auson. p. 313.: quippe sermo comicorum ad quotidianum usum magis erat adcommodatus quam ad numeros tragicorum artificiosos. Aliter Wakef. ad Lucret. II, 1053. qui Romanum populum intelligit, qui risum suum et ludos poeta mortuo amiserat.

24.

Anth. II. 218. Extat in Gellio I, 24. Vid. Morcelli Opera Epigraph. T. I. p. 435.

1. *tametsi p. te hoc*] hanc Pithoei et B. lectionem, qua iambicus senarius recte se habet, confirmavit Schneiderus Lat. Gramm. T. I. p. 741. Bothius Poet. Scenic. P. I. p. 101. — *adolescens, t a m e n etsi properas, h o c t e saxum rogat* Gronovius duplici vitio. — *tametsi* bisyllabum est.

2. *uti ad se* etc.] *uti se adspicias: deinde quod quod* (errore typogr. repetitum *quod*) *scriptust, legas.* vulgo vitiose.

3. *Pacuvi Marci* mss. *Marcei Pacuvei* vulgo.

25.

Anth. II, 215. Gellius XVII, 21. *Porcium autem Licinium Servius poeticam Romae coepisse dicit in his versibus — ac deinde annis fere post XV bellum adversus Poenos sumtum est, atque non nimium longe M.*

Cato orator in civitate et Plautus poeta in scena floruerunt. — Servius, de quo Gellius loquitur, idem est, quem XIII, 22. attulit, ut docuit Lion. Eos, qui Porcium Licinium poetam consulem anni 570 fuisse putant, refellit Madwig in Comment. de L. Attii Didascalicis p. 20. — Versus trochaici tetrametri catalecti.

1. *Musa*] v. Bernhardy R. Litt. p. 80 et 159.

pinnato] *pennato* vulgo.

26.

Anth. III. 246. ex Gellio XIX, 9. Epigramma graecum similis argumenti extat in Anal. Brunckii T. III. p. 160. n. 46.

1. *agnum*] interpunxi cum Lachmanno ad Propert. p. 321. qui annotat, iungendum esse non *tenerae agnorum propaginis*, sed, *agnorum, tenerae propaginis ovium. agnûm* per appositionem positum intellige. — *Custodes ovium, teneraeque propaginis agnum* vulgo.

Custodes ovium teneraeque propaginis, ignem
quaeritis? ignem (ite huc) quaeritis? ignis homo est.
Si digito attigero, incendam silvam simul omnem,
omne pecus (flamma est), omnia, quae video.

Tollius ad Ausonium p. 28.

4. *flamma est*] Tollius intelligebat *flamma est homo* ut *ignis homo est.*

quae video] *qua vigeo* ms. Franequeranus Gellii.

27.

Anth. III. 242. ex Gellio XIX, 9.

1. *qua nil opu'*] *qua nihil est opus nobis ibi mu sic lucet* ms. Franequer. *qua est nil opu' nobis* Gron.

2. *ibimu' sic: lucet* mss. et Salm. *ibimus. hoc lucet* vulgo.

3. *nam non* mss., quod pro *nonne* receperunt Turneb. et Lion.

4. *caelo candidu'*] candidum imbrem de nive ingruente intelligendum puto. — *imber coeli cardine* vel *imber coelo grandini'* B. *imber* vel *nimbus coelo grandine praecipitans* Piersonus Add. B. T. II. p. 748.

5. *nisi si*] *si non* Lindenbrog.

28.

Anth. III. 243. ex Gellio XIX, 9.

2. *quid mi*] *quid mihi abs te quaeram, membra labris abeunt* ms. Franequeranus.

3. *per pectus*] *per pectus manat subito mihi sudor* ms. Fran.

per pectus miserum manat subito mihi sudor;

si taceo subidus, duplo iterum pereo. vulgo. Mitscherlichius in Analect. ad Horat. T. II. p. 709. citat in versu quarto *si taceo subitus.* — *Subido* dupliciter se perire ait, semel ab amore, semel a silentio. Subidus est vehementi oestro amoris venerei percitus, amore aestuans, flagrans. Gesnerus in Thes. s. v.

4. *duplo ideo*] *duplideo* ms. Franequ.

29.

Anth. III, 108. Lactantius Institt. VI, 5.

1. *Albine*] hic Albinus idem est, quem inter Oratores meos retuli p. 108. Sed in eo ibi erravi, quod Sp. Albinum aedilem curulem a. 636, consulem a. 644 esse dixi. Is enim, de quo nunc sermo est, longe maior natu fuit, ita ut aedilitatem a. 597, consulatum a. 606 caperet. Errasse me in constituendo annorum numero cum aliis viris doctis, ex ipso loco Ciceronis in Bruto c. 25 patet, cum ceteri quoque, qui cum Sp. Albino iuncti commemorantur, circa illud aevum florerent, non eo, quo prius putaram. Eo vero facilius error commissus est, quod Sp. Albinus, qui in Bruto c. 25 laudatur, idem esse cum eo, qui cap. 34 nominatur, putabatur. Sed in priore loco consul a. 606, in posteriore consul a. 644 intelligendus est.

verum] *rerum* ed. Iunt. Construo: *Virtus est, pretium verum rebus, in quibus versamur quibusque vivimus, persolvere posse.* ut in v. 7. *Virtus, divitiis pretium persolvere posse:* den wahren Werth allen Dingen beilegen. Vulgo post *vivimu'* non interpungitur, quod iam dudum correxerat Heusingerus in Walchii Act. Lat. Soc. Ien. T. I. p. 65.

6. *rei μονοσυλλάβως.* Wakef. ad Lucret. III, 931.

12. *patriaï primo*] *patriae prima* ed. Rostoch. *patriae sibi prima* Aldus. *sibi* insertum a correctore; abest enim utroque loco, tum VI, 5, tum VI, 19 a ms. Gothano teste Heusingero l. l.

30.

Anth. III, 136. Scholiasta Iuven. III, 143. coll. Horat. Sat. I, 62. *Nil satis est, inquit, quia tanti, quantum habeas, sis.*

1. *specimen*] *species* mgo ap. Dousam p. 5. — *utrique* fortasse intelligendum *bono malove homini.* Sed si coniecturae etiam in abruptis, quorum intellectus, quia sententiarum nexum non amplius cernere possumus, obscurus est, probabiles esse possunt, malim cum Heinsio *ubique.*

31.

Anth. IV, 335. Donatus ad Terent. Phorm. II, 1, 57. *Columen, columna, unde columellae apud veteres dicti servi maiores domus.* Lucil. XXII:

Servus neque infidus domino neque inutilis cuiquam
Lucili columella hic situs [est] Metrophanes.

2. *columella hic*] Martialis XI, 91. ed. Schrev:

Carmina nulla probas, molli quae limite currunt,
Sed quae per salebras altaque saxa cadunt,
Et tibi Maeonio quod carmine maius habetur
Luceilei columella heic situst, Metrophanes'st,
Attonitusque legis *terraï frugiferai,*
Accius et quidquid Pacuviusque vomunt.

In aliis edd. a. 1515. 1540. 1544. 1607 legitur *Lucili columella his situs*

Metrophanes. Hemistichium pentametri ipso vocabuli fine terminari, neglexerunt aliquando poetae graeci ac latini. Et propter ipsum hoc vitium totum versum Martialis reprehendit. Conf. Santen. ad Terentianum p. 298. Schneider Lat. Gr. I. 1. p. 348. — *columella hac* i. e. sub hac columella vel cippo, Salmas. improb. Wernsd. Po. lat. T. VII. p. 5. edit. Parisina.

32.

Anth. I. 4. Sed exhibui ex Mythographo tertio, quem in T. III. Classicorum auctt. e Vatic. Mss. editorum A. Maius dedit p. 161., ubi legitur: *Plerumque deus et unus idemque non solum diversis nominibus, sed et diverso ac vario sexu dicitur iuxta illos versus Valerii Serrani Iuppiter-idem.* Emendatius sane, quam apud Augustinum legitur Civ. Dei. VII, 9: *In hanc sententiam etiam quosdam versus Valerii Sorani exponit idem Varro in eo libro, quem seorsum ab istis de cultu deorum scripsit; qui versus hi sunt:*

Iuppiter omnipotens regum rerumque deûmque
progenitor, genitrixque deûm, deus unus et omnis.

Exponuntur autem in eodem libro, ita ut eum marem existimarent, qui semen emitteret, feminam, quae acciperet; Iovemque esse mundum, et eum omnia semina ex se emittere et in se accipere. Qua causa, inquit, scripsit Soranus, Iupiter progenitor genitrixque, nec minus cum causa unum et omnia idem esse; mundus enim unus, et in eo uno omnia sunt.

1. *rerum regumque repertor*] Virg. A. XII, 829. *Olli subridens hominum rerumque repertor.* — *rerum*, *regumque*, *Deûmque Progenitor* vulgo.

Iupiter omnipotens regum rex ipse, Deûmque
Progenitor

B. improbante Klotzio in Antib. p. 56.

Deûmque
Progenitor genetrisque Deûm

id est Heroum, Oudendorpius in Add. B. T. II. p. 701. prob. B. Sed Varronis sive Augustini locus, ubi illud *progenitor genitrixque deûm* satis illustratur, Oudendorpium a tali mutatione absterrere debebat.

33.

Anth. III. 245. apud Varronem de Ling. lat. p. 315. ed. Speng. *Cascum vetus esse significat, eo magis, Manilius quod ait*

Cascum duxisse cascam non mirabile est,
Quoniam carioras conficiebat nuptias.

Spengel corruptam igitur lectionem retinuit; alii codd. *casmareas* vel *casnareas* praebent, quod Reuwens in Coniectan. litt. p. 143, quem secutus sum, eo defendit, ut nuptiae casnareae eae essent, quae antiquissimo ritu per confarreationem instituti solebant.

Caecum caecam duxisse, non mirabile'st.
Quoniam Charon eas faciebat nuptias.

vulgo ex Scalig. coni.

34.

Anth. I. 50. Nonius v. Tutanus. Varro Hercules tuam fidem p. 47. Est fragmentum ex satyra Varronis Menippea, *Hercules tuam fidem* inscripta.

35.

Anth. I. 54. Correxit galliambos Hermannus Elem. Metr. p. 506. Conf. Lennep. ad Terentian. p. 451.

1. *Tibi typana* etc. Herm. Nonius v. *tonimus* p. 49 Varro Eumenidibus: *Tibi tympana non inoni sonitu matris deum tonimus.* —

Tibi tympana haud inani sonitu, Dea, tonimus.
Sonitum aeris intonamus tibi nos semiviri,
teretem comam volantem Galli tibi iacimus.

vulgo ex Scalig. Catal. p. 224.

2. *tonimus ... tibi n. s.* Herm. Nonius v. *tibinos* p. 49. Varro Eumenidibus: *Sonitus matris deum tonimus tibinos tibi nunc semiviri.* Vocab. *tibinos* ab interpolatore adiectum esse indicant Mercerus atque Hermannus.

3. *teretem* etc. Nonius v. *iactare* p. 328. Varro Eumenidibus: *tibi nunc semiviri teretem comam volantem iactant tibi Galli.*

4. *Phrygius*] hunc versum addidit Herm. ex Nonio v. *liquidum* p. 334 et v. *anima* p. 233, ubi legitur *Phrygios per ossa cornus l. c. anima.* Mercerus malebat *Phrygios per ossa cantus* inprobante Salmasio ad Solin. p. 86. „*Phrygius cornus* pro Phrygium cornu. Sic Lucano *cornus sinister.* Tibia ipsa vel ex buxo vel ex osse, cui additum ad orificium cornu repandum. Hinc dicit *Phrygium cornum per ossa canere.*" — Nobbius in programmate de versu Galliambico p. 14. legendum statuit *Ponimus modos tibinos tibi nunc: semiviri* et annotat, mediam vocabuli *tibinus* producendam esse. Porro illud hemistichium *sonitu mater deum* (sic) a rhythmo Catulli discrepat, qui pro Ionico a minore mutilo anapaestum, non dactylum amat. Tum sequentia *teretem comam volantem iactant tibi Galli* vitio laborare apertum esse dicit. Ac cum in Hermanni collocatione verborum sex syllabarum longarum sese deinceps excipientium tarditas displiceat auribus, coniicit

tibi nunc: semiviri
teretem comam volantem iactant tibi, domina.

Nomen *Galli* ut glossam superioris versus delevit.

36.

Anth. I. 78. ex Gellio XIII, 22.

1. *Te Anna ac* etc. ms. Franequer. *Te Anna, te Peranna, te Latona, te Pales* ms. Scriver. *Te Anna et Peranna, Panda, te Lato, Pales* vulgo

Panda] v. Niebuhr. Hist. R. T. I. p. 651. Creuzer. Antiquitt. Rom. p. 199.

2. *Nerienes*] *Nerienes*, *enis* obsoleta forma pro *Nerio*, *enis*, ut ex Gellio patet. Cf. Schneider. Lat. Form. p. 148. Ex ms. Scriverii adieci *et*, quod in Franequer. deest.

Te Anna et Perenna, Panda, te Lato, Pales,
Neriene, te Minerva, Fortuna ac Ceres.

Lindemannus ad Festum p. 409.

37.

Anth. II. 18. ex Nonio v. *lucis* p. 528. *Varro Hebdomadum sub imagine Demetrii.* Varronis Hebdomadae continuere imagines clarorum virorum, simul eorum elogia, ut demonstrat Mercerus p. 775. Versus hendecasyllabi.

1. *aereas tot aptu'st*] Scalig. in Catalectis p. 220. nisi quod *aeneas* scripsit. *Hic Demetrius est catus* Mercerus. *hic Demetrius est natus* edit. 1526. *Hic Demetrius aeneu'st Athenis* Is. Vossius. Schraderum in Add. T. I. p. 728. *aereas* pro *aeneas* corrigentem sum secutus. Nusquam enim *aeneus* trisyllabum apud veteres poetas invenias, nisi forte, ubi prave ediderunt pro *aereus*, sed ubique aut *aëneus* aut *aënus*, ut Bentleius observat ad Horat. Serm. II. 3, 183. Consentit I. I. Ochsnerus ad Eclog. Cicer. p. 92, quamquam Bacchius ad Ovid. Met. VII, 247. ab eo discedit.

2. *quot luces*] *quot lucis* Mercerus. *quod luces* edit. 1526. Demetrius Athenis 360 statuas habuit. Conf. Müller. Archaeol. p. 139.

38.

Anth. II. 207. ex Gellio III, 11.

2. *quod hac*] Apud Ietas, qui insulam Io, *Ἴον*, incolebant, tumulum Homeri demonstravit olim candida capra, quod Manibus eius capra parentarent Ietae. Salm. ad Solin. p. 859. Iacobs. ad Anth. Palat. T. II. p. 716.

39.

Anth. II. 211. Nonius v. *linquere* p. 333. *Varro ἐν ταφῇ Μενίππου.*

1. *Menippus*] supplevit Scalig.

2. *homines omnes*] *omnes homines* vulgo.

terra pila] *terrae pila* vulgo.

40.

Anth. III. 9. Scaliger inscripsit *Fragmentum de gentibus Caucaseis.*

1. *Humanae*] Scal. Nonius v. *aritudinem* p. 71: *Varro Meteo. lib. I. humanarum. Quandam gentem stirpis conquit frigus calore atque humore aritudinem miscet.* Mercerus, qui corrigit *Prometheo liberato.*

humanam

et quondam gentem ut stirpes concoquit frigus,
calore atque humore aritudinem miscens.

Is. Vossius.

4. *dum*] Scal. Nonius v. *cortex* p. 199: *Varro Prometheo lib. Tum ut si supernus cortex aut cacumina Morientum in querqueto et arborum amaritudine* Mercerus.

viso tum suis
asper subernus cortex aut cacumina
morientum in querqueto arborum aritudine

Is. Vossius. Versus quintus omnino, sicuti Vossius praecipit, corrigi debet, cum in Scaligeri editione uno pede brevior sit.

6. *et exsangui*] Scal. Nonius v. *evirescat* p. 101. *Varro Prometheo lib. XV. Atque exsanguibus dolore evirescat colos.*

7. *mortalis*] Scal. Nonius v. *vastitas* p. 417. *Varro Prometheo lib. I. Mortales nemo exaudit, sed late incolens Sattharum inhospitalis campis vastitas.*

9. *levisomna*] Scal. „*Levius mens numquam somnorinas imagines*
adfatur; non umbrantur somno pupulae.
Ita corrigo; vulgo m e n s u m   c u m." Bentleius ad Lucret. IV, 751. Nonius v. *somnurnas* p. 172. *Varro Prometheo lib. I. Levis mens umquam somnurnas imagines Affatur non umbratur somno pupulae.* Mercerus improbans Scaliger coniecturam, *Levis mens numquam somnurnas imagines Affatur, non umbrautur somno pupulae.* Salmasius ex vett. librorum auctoritate in Plin. Exercitt. p. 764. ed. Traiect. de Prometheo, inquit, haec dicebantur, quem Caucaso affixum vulture iecur redivivum tundente negabat dormire umquam. *Somnurnae imagines* sunt visa nocturna et somnia. Qui oculis somnum non capit, nec somnia potest videre, nec somnurnas imagines affari, quae in somnis apparent. *Somnurnus* a somno, ut *nocturnus* a nocte, *mensurnus* a mense.

41.

Anth. III. 71. Nonius v. *miras* p. 480. *ex Varronis Eumenidibus.* —

1. *numo*] *animo* Mercerus.

2. *tantidem*] pro *tantundem*. Ruddimannus p. 125.

42.

Anth. III. 72. Nonius v. *religio* p. 379. *Varro Anthropopoli περὶ γενεθλιακῆς* (alii *ἀνθρωπουργίᾳ ἢ περὶ γενεθλίων*).

2. *demunt animis*] *animis demunt* vulgo.

religiones] *relligiones* vulgo. Vid. Schneideri Lat. Gr. I. 2. p. 590.

3. *non atria diviti' Crassi*] *non divitis horrea Croesi* B. *non divitis atria Croesi* Wakef. ad Lucret. II, 42. Explicationem huius loci ex

Plinii hist. XVII, 1. petere debemus. *L. Licinius Crassus iam columnas quatuor Hymettii marmoris aedilitatis gratia ad scenam ornandam advectas in atrio domus statuerat, cum in publico nondum essent ullae marmoreae.* Idem XXXVI, 3. de eadem re: *Quis enim tantarum hodie columnarum atrium habet?* Ab his Crassi atriis, Varronis tempore propter splendorem celeberrimis, distinguenda sunt *atria Licinia*, quae auctionaria erant, et a Cicerone pro Quintio c. 3. commemorantur.

43.

Anth. III. 83. ex Nonio v. *coagulum* p. 28. *Varro in satyra. Est modus. Matula περὶ μέθης.*

1. *nihil iucundius*] Mercerus. *vino nihil quidquam iucundius cluit* vulgo. Conf. Mureti Var. Lectt. IV, 8. et Addenda, quae Faesius adiecit T. II. p. 299.

2. *medendam*] Mercerus. *medendum* vulgo.
invenerunt] penultima brevi.

44.

Anth. III. 100. Nonius v. *calx* p. 199. *Varro Margopolis περὶ ἀρχῆς.* — Versus trochaici tetrametri catalecti.

1. *emissum intimo* etc.] Mercerus, cui assentitur Salmasius ad Solin. p. 642, nisi quod *a* omittit.

Nemini fortuna currum a carcere ultimo leve
Missum, inoffensum per aequor candidum ad calcem subit

vulgo.

Nemini Fortuna currum a carcere intimo levem
Missum, inoffensum per aequor candidum ad calcem tulit.

Piersonus Add. Burm. T. II. p. 738.

45.

Anth. III. 107. Nonius v. *proprium* p. 361. *Varro Caprinum Proelium.*

1. *fecit*] intelligendum *Deus.*

2. *promisce*] *promisque* Mercerus. *promiscam* vulgo.
haberi] *habere* Mercerus.

46.

Anth. III. 147. Nonius v. *comest* p. 81. *Varro Margopolis περὶ ἀρχῆς.*

2. *piscis — avis*] Mercerus. *pisces — aves* vulgo.

47.

Anth. III. 148. Nonius v. *rutuba* p. 167. *Varro Sexagesi.*

1. *pudentis vixere in patria*] Guilielmius et Vossius, in cuius ms. *patria* legitur; *pudentis vivere in patriam* Mercerus; *putantes vivere, cum patria* vulgo.

48.

Addidi ex Nonio v. *infans* p. 56. *Varro Eumenidibus.* Fragm. Varr. p. 103. ed. Dordrac.

49.

Anth. I. 59. (Add. B. T. I. p. 721.) Scaliger hos versus composuit in Catal. p. 253.

1—6. ap. Nonium v. *vigiliae* p. 231. *Varro in Endymionibus.* Scal. in toto hoc carmine a lectionibus Merceri multum discrepat.

7—8. ap. Nonium v. *specula* p. 434. *Varro Eumenidibus.* Alterutram inscriptionem vitiosam esse, patet, nisi non convenientia membra in unum redegerit Scaliger.

9. ap. Nonium v. *exterritum Varro Eumenidibus.*

10 et 11. ap. Nonium v. *ostrinam* p. 549. et v. *supparum* p 540. *Varro Eumenidibus* utroque loco.

10. *Aurorae*] *Auroraï ostrinum hicc' indutus supparum*
coronam ex auro et gemmis fulgentem gerit,
luce locum inficiens.

Wakef. ad Lucret. IV., 78. *Aurora ostrinum sic induta supparum* vel *Aurora ut ostrinum hic indutus supparum* Heins. Add. T. I. p. 721.

12. ap. Nonium v. *affici malis* p. 520. — *luce polum afficiens* Heins.

14. *venustas*] ap. Nonium v. *gallare* p. 119. — *vetustas* vulgo.

15. *quae castitas?*] B. — ap. Nonium v. *castum* p. 267. *quae casta vestis?* v. *species* p. 386.

quae casta vestis, aetas quae adolescentium,
quae teneris species? —

vulgo: *Quae casta aetas? quae vestis adolescentium?*

50.

Anth. V. 50. Anapaesti, sed vitiosi. Ex Probo ad Virg. Ecl. VI, 32. Varro in Cynicis, quem (sic) inscripsit Dolium aut Ceria sic: *Mundus domus est maxima homuli, quem quinque altitonae flammeae zonae cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis stellis mirantibus altus in obliquo aethere Lunae binas acceptat.*

1. *mundus*] Mundus domus est maxima homulli,
quam quinque altitonae fragmine zonae
cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis
stellimicantibus, altus in obliquo aethere Lunae
bigas Solisque receptat.

Fragm. Varr. p. 96. ed. Dordrac. nec aliter in Barthii Adv. XXXXIX, 9.
Mundus domus est maxima rerum,
quam quinque altitonae fragmine zonae
cingunt, per quam limbus pictus bis sex signis
stellimicantibus, altus in obliquo aethere, Lunae
bigas acceptat.

Turnebus in Adv. XX, 29.

2. *fragmine*] *framine* vulgo, ut in Catal. Scalig. p. 246. errore typogr. legitur. — *quam quinque altirotae tramite zonae Cingunt* B. *segmine zonae* Barth. l. l.

51.

Fragmentum Varronis e Marcipore Scalig. in Catal. p. 251. et Reuvens in Coniect. litt. p. 127. ediderunt.

1—3. ap. Nonium p. 451.

4—6. ap. Nonium p. 46. v. *inferum*.

4. *nubes aquales*] *n. aquali* Mercerus. *nubes aquaï* Lambin. ad Lucret. IV, 172.

6. deest in Catal. Scaligeri.

7—9. ap. Nonium p. 46. v. *syrus*.

8. *phrenetici*] v. Muret. ad Seuec. de Ira I, 13.

10—12. ap. Non. v. *bipennis* p. 79., ubi *naufragi, ut ciconiae*.

10. *naufragi*] *naufragii* in Cat. Scal.

12. *moesti*] *perussit alte, moeste* in Cat. Scal.

52.

Anth. III. 240. ex Cicer. de nat. deor. I, 28.

in Q. Roscium] De Q. Roscio Gallo comoedo scripsit C. I. Grysar in disputatione, quae inscripta est: Ueber den Zustand der römischeu Bühne im Zeitalter des Cicero. (Allg. Schulzeitnng, 1832. N. 46. p. 365.)

2. *Roscius exoritur*] i. e. in scenam prodit. A prima luce interdum ludi scenici coepere, ideoque tam mane in scenam prodeuntem Roscium Catulus vidit. Conf. Grysar ibid. p. 343.

4. *visust*] *visu'st* Menagius ad Diog. Laert. I. II. p. 128. (p. 441. ed. Huebn.). Orellius. *visus* om. *est* vulgo. *deo* Auroram intelligit.

53.

Anth. III. 241. Gellins XIX, 9.

1. *Aufugit mi*] *Effugit mi* Huschkius Analect. litter. p. 47., cuius codex hoc epigramma Catullo tribuit. *efugit mi* ms. Huschkii. *aufugit mihi* ap. Gellium legitur.

Theotimum] *theotinum* ms. Huschkii.

2. *perfugium*] *profugium* Aldus, Tollius.

3. *si non int.* etc.] *quid si interdissem ne non illuc fugitivum* ms. Huschkii. *quid? ni interdissem, nemo ne illunc fugitivum* Huschkius. *illunc* Turnebus quoque, in ceteris vulgatam defendit.

5. *verum*] *verbum ne i. teneamus* ms. Huschkii.

6. *Venu'*] *Venus* ms. Huschkii. Imitatus est Lutatius Catulus Callimachi epigramma 43. in Anthol. Palat. T. II. p. 471. Anal. Br. I. p. 462.

54.

Anth. II. 212. Gellius X, 17. Laberius poeta in mimo, quem in-

scripsit Restionem, versibus quidem satis mundo atque graphice factis personam divitis avari et parci descripsit.

1. *physicus*] *physicu'* Lindemannus Select. Poet. lat. P. II. p. 122.

2. *clipeum const.*] *constituit clipeum* Lindem.

4. *radiis*] bisyllabum. *solis radiis* Lindem.

effodit] *effudit* Bothius Poet. Scen. Lat. V. 5. P. II. p. 214.

6. *splendorem*] Gronov. ex lect. mss. *splendore in pecuniam.* —

Sic ego fulgentis splendore pecuniae volo
Elucificare exitum aetatis meae.

Mercerus ap. Noninm v. *elucificare* p. 106. —

Sic fulgidae splendore pecuniae ego volo
Elucificare aetatis exitum meae.

Lindemannus.

Sic ego fulgentis splendore e pecuniae
Volo elucificari exitum aetati meae.

Bothius.

Sic ego fulgentis splendore pecuniae
Volo elucificare exitum aetatis meae.

vulgo.

7. *elucificare*] i. e. luce privare, obcaecare. *volo lucificare* Lion.

8. *in re bona*] caecus fieri volo, ne filium pecuniam ligurientem videam.

esse videam] *videam esse* Lindemannus.

nequam filium] *nequam filii* Bothius.

55.

Anth. III. 101. Macrobius Saturn. II, 7. Hic prologus est, quem D. Laberius in scena dixit, cum ab Iul. Caesare coactus esset agere mimum.

3. *detrusti*] Scalig. i. e. *detrusisti.* vulgo *detrusit.*

extremis sensibus] i. e. im letzten Athemzuge. *ereptis sensibus* Oudendorpius.

4. *nulla unquam*] *nulla quem* Bothius Po. Scen. V. 2. p. 206.

8. *clemente*] antique pro *clementi.*

11. *quis posset*] an legendum *qui posset?* i. e. quomodo Caesar, cui dii omnia dederunt, me sibi resistentem tulisset! statim me perdidisset.

12. *Ego bis* —] *Ergo annis bis tricenis actis* Bothius.

18. *Florens*] Heinsius, Bothius. *Floris* vulgo, quod non potest defendi, nisi explices: si tibi erat voluntas, flores, ex litterarum laudibus a me partos, cacumen famae nostrae, carpendi.

20. *satisfacere*] pronunciandum *satifacere.*

21. *non flexib. me*] *non me flexibilem c.* Bothius.

22. *Nunc me quo deiicis*] *nunc deiicis quo me* Bothius.

25. *necat*] *negat* Bothius. *terit* Oudendorpius. *secat* Lindemannus.

26. *annorum*] *annosum* Bothius.

enecat] *necat* Orell. in Eclog. p. 176. ex edd. ant.

27. *sepulcri*] *sepulcris* Scalig.

56.

Anth. III. 102. Macrob. Saturn. II, 7.

3. *et citius q. adsc. cades*] Schraderus Add. Burm. T. II. p. 738. Sanadon, Bothius. *et citius quam adscendas, decides* vulgo, metro violato, nec aliter Ruhnk. ad Vellei. p. 70. *et quam descendas, decides* Pontanus omisso *citius.* Receptam lect. defendat Senecae quoque locus ex Controv. praef. lib. I. p. 66. *In deterius quotidie data res est — sive fato quodam, cuius maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta rursus ad infimum velocius quidem quam adscenderant relabantur.*

4. *lex*] Cannegieter. et Piersonus in Add. B. T. II. p. 738., idque ipse Senecae locus, quem attuli, suadet. — *laus* vulgo. *sors* B.

57.

Anth. III. 132. Wernsdorf. Po. l. Min. in fragm. Petronii T. II. p. 121. Conradus Orellius in Opusc. Sentent. lat. p. 283. Bothius Po. Scen. p. 264. Ex Petronii Satyr. c. 55: *Rogo, uit, magister, quid putas inter Ciceronem et Publium interesse? ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem. Quid enim hoc melius dici potest?* etc.

1. *rictu*] i. e. luxuria tam vorax est, ut ipsam Romam abripiat. Im Schlunde des Luxus geht auch Rom unter. Orellius coni. *Luxurie attrita,* Bothius *luxuria evicta.* Vulgata comicorum orationi adcommodatissima est.

2. *clausus pavo pascitur*] i. e. für deinen Gaumen wird der eingesperrte Pfau gefüttert. Sic mss. Oudend. Wakefield. ad Lucret. II, 501. — *tuo palato lautus pavo nascitur* vulgo.

3. *Babylonico*] i. e. texto Babylonico, mit einem goldenen Federteppich geschmückt.

4. *gallina Numidica*] i. e. das Perlhuhn.

tibi] scil. pascitur.

5. *grata, peregrina*] Anton. *peregrina, grata* vulgo, metro obstante. Sed si verborum ordinem mutare noles, scribas: *Ciconia etiam peregrina et grata hospita* vel *ciconia etiam peregrina, grataque hospita,* ita ut *etiam* bisyllabum sit.

8. *nequitiae nidum*] ad serviendum luxuriae ipsa ciconia cogitur.

9. *quo margarita*] i. e. cui bono est margarita, et tribacca quidem, cara, Indica? Wozu nützt die Perle und sogar die kostbare Dreyglockenperle aus Indien? margarita nominativus feminini generis est, non neutrum plurale, ut Burmannus dicit. *tribacca* a Publio pro bacca triplici dicta est, et inaurem significat, quae ex tribus baccis sive unionibus constat, et tunc temporis a mulieribus Romae gestari solebat. Vid. Böttigeri Sabina T. II. p. 131 et 156. — Sed versus corruptus est: nam prima syllaba in *tribacca* brevis est. Quare mutarunt editores mss. lect. *Quo margarita cara tibi, baca Indica?* Scalig. idque vulgo legitur. *Quo margarita cara, unibacca, Indica* Heins. ad Claudiani Epithal. Honorii

165. (metro invito, cum in *unibacca* secunda itidem sit brevis). Scaligeri emendatio versui laboranti succurrit. Sed *tribacca* integrum esse existimo, et in alio quo vocabulo vitium latere. *Quo margarita, cara, tribacca ac Indica* Anton. *quo margarita cara tribacca et Indica* Zellius.

10. *phaleris*] phalerae proprie equorum sunt, hic ad ornatum muliebrem translatae. Phalerae pelagiae vocantur, quia ex Oceano Indico asportabantur baccae.

12. *ad quam rem*] int. *optas* ex sequenti versu.

16. *in nebula linea*] ut ventus textilis tenuissimam vestem textam, sic nebula linea tunicam pellucidam e lino factam significat.

58.

Recepi ex Appuleii Apologia T. II. p. 461. ed. Oudendorp. — Iambici dimetri.

Fragmentum est Erotopaegnion Laevii. Erotopaegnia non alii poetae nisi Laevio tribui posse, consensus plurium auctorum facit. Itaque et hunc locum, ubi mss. *Laelium* habent, emendarunt Bosschs, Lennep. ad Terentianum Maurum p. 433. (Santenius enim ibidem p. 232. Livii Andronici esse dixerat), Weichert. Po. Lat. Reliqu. p. 49 sqq., Bernhardy Röm. Litt. p. 201.

3. *trochiscili*] Scaliger, quem secutus est Bosscha, qui se invito *trochilisci* in textu editum esse ait, et Weichertius, qui *de staminea rhombi rota* cogitandum existimat.

5. *illices*] illex avicula est, quae graece ἴυγξ dicitur — „Illices bicodulae vocantur, quod caudas vibrando duplicant.“ Weichert. Haec avicula alias motacilla s. Bachstelze dicitur. Conf. Salmas. ad Solin. p. 661.

59.

Anth. III. 244. Conf. Bentleius ad Terent. Eunuch. II. 3, 66. et Reuvens in Collectan. litter. p. 134. — Priscianus T. I. p. 110. Kr. *Pomponius in epigrammate, quod M. Varro in libris, qui sunt de lingua latina, refert: Tua amica senex est.* Varro de l. l. p. 316. Speng. *Item ostendit Papini ἐπιγραμμάτιον, quod in adolescentem fecerat Cascam.* (*casculam* ms. Numburg. ap. Duebnerum in Iahnii Ann. 1828. T. III. F. 3. p. 309.).

Ridiculum est, cum te Cascam tua dicit amica
Fili Potoni sesquisenex . . .
[Puerum dicit Pusum Puellam Pusam]
. . sic fiet mutua muli;
Nam vere pusus tu, tua amica senex.

De L. Pomponio Bononiensi, Atellanarum poeta scripsit Ed. Munk. (1826.)

1. *Cascam*] Casca est gentis Serviliae aliarumque cognomen.

2. *filia*] Popma prob. Spengelio. *fili* vulgo.

Potoni] mss. *Petroni* vulgo. Sed illi similia in Gruteri thesauro Inscriptt. nomina reperiuntur, ut *Pothimus*, *Pothinus*, *Potinus*.

3. *illam pusam*] Burmannus in Add. T. II. p. 748. ex veteri codice Proverb. latin. Moermanniano affert: *Cascus cascam amat*, *id est*, *vetulus vetulam*; *pupus pupam*, *id est*, *puer puellam*. *sic enim prisci loquebantur*; unde in hoc epigrammate legendum monet: *Dic tu illam pupam* etc. *Nam es vere pupus tu* etc.

mutua muli] sc. scabunt. Proverbialis locutio.

4. *nam vere pusus*] *nam es vere p.* vulgo.

senext] i. e. senex est. Ex Prisciano recepi. *senex* vulgo.

60.

Anth. I. 106. Gellius XV, 6. Versus ex Homeri Iliad. VII, 89. sunt versi.

2. *perculsus*] mss. tum alii, tum Franequeranus. *percussus* vulgo. Ceteros quoque Homeri locos, quos in latinum vertit Cicero, hic recepissem, nisi Wernsdorfius Homeristas latinos eorumque fragmenta in Poet. Lat. Min. T. III. p. 474 sqq. edidisset.

3. *hoc*] ms. Guelferb. Modo producitur, modo corripitur; conf. Schneid. Lat. Gr. II. 1. p. 666 sq. Ramshorn. p. 1041. *haec* vulgo.

61.

Anth. II. 1. Cicero in Tuscul. V. 35, 101. Graeci versus, quos in latinum vertit Cicero, apud Strabonem leguntur lib. XIV. p. 672. ed. Paris. (T. III. p. 60. ed. Koray.) Conf. Naek. in Choerilo p. 196 sqq.

2. *multa*] *pulchra* vulgo.

62.

Anth. II. 38. Cicero in Tuscul. I. 42, 101. ex Simonide epigramma se vertisse dicit. Vid. Anthol. Palat. l. VII. ep. 249. T. I. p. 379.

63.

Anth. II. 128. Rem narrat ipse Cicero Ep. ad Div. VII, 30., Trebellius Pollio in XXX tyrann. c. 7. T. II. p. 268. et Macrobius Saturn. II, 3. (Cicero iocatus est): *Vigilantem habemus consulem Caninium, qui in consulatu suo somnum non vidit.* Epigramma non a Cicerone, sed a Pithoeo vel Scaligero ex Macrobii verbis compositum esse puto.

1. *vigilantem*] *vigilacem* Heinsius.

64.

Anth. II. 222. ex Suetonii Vit. Terent. c. 5. Caesar ad primum huius epigrammatis versum allusit in epigrammate suo in Terentium, quod infra dabo; allusit et Ausonius in Protrept. v. 58. p. 515. Toll.

4. *quidquid*] *quiddam* vulgo.

dicens] *promens* vulgo.

65.

Anth. III. 56. Quintilianus VIII. 6, 73. *Crescit interim hyperbole alia insuper addita — —: nec pauciora sunt genera minuendi: — Vix ossibus haerent et quod Cicero in quodam ioculari libello etc.* Sensus epigrammatis is est: Vetto fundum tantum esse dicit, quantum lapidem mittere funda potest (Ovid. Fast. III, 584.): modo lapis non excidat e cava funda, antequam fuerit missus; tunc enim fundus haud magnam terrae partem contineret. Calphurnius ad Terent. Heaut. I. 1, 16. idem epigramma affert:

Fundum vero vocat, qua possit mittere funda,
Ni lapis exciderit, qua cava funda patet.

Ac nescio an Calphurnius integrius id servarit, modo *vero* mutes *Vetto* vel simili nomine. Cicero hic ad etymologiam verbi *fundus* respicit: quis autem ille sit, qui *fundum* a *funda* derivavit, ignoramus. Varro certe, de quo editores Quintiliani usque ad Spaldingium, qui errorem correxit, cogitant, in opere suo de lingua latina nihil tale habet, ut unusquisque videbit, qui eius verba ex codd., non ex interpolatione recentiorum aestimabit. Vid. p. 38. Speng. Nam Tollius in Ausonio p. 148. Varronis locum interpolando corrupit. Nullus porro Quintiliani codex nomen Varronis continet, sed ex coniectura insertum est. Pithoeus et Burmannus cum hoc Ciceronis disticho aliud coniunxerunt, quod apud Charisium p. 246. et Diomedem p. 457. legitur, nulla vel Ciceronis vel distichi huius facta mentione. Id autem tale est:

Extractam puteo situlam cum ponit in horto,
Ulterius standi non habet ipse locum.

Argumentum in utroque quasi quandam habet similitudinem, neque tamen unum epigramma efficiunt. Itaque Piersonus, quem B. in Add. T. II. p. 754. affert, in concinnandis his distichis operam perdidit.

66.

Anth. V. 41. In ms. Lugdunensi inscriptio est: *Quincti Ciceronis hi versus eo pertinent, ut quod signum quo tempore inlustre sit, noverimus, quod superius quoque nostris versibus expeditur.* Quintus Cicero eam poesin attigit, quam Romanorum plerique amabant, nempe astronomica carmina. Sed in ceteris quoque generibus multa scripsisse traditur, ut ex epistola M. Ciceronis ad fratrem suum III, 5. 6. 9. scimus, hunc intra sedecim dies quatuor tragoedias absolvisse. Hi versus, qui fragmentum maioris poematis sunt, leguntur in Ausonio quoque p. 558. et in Gallica edit. Poetarum lat. Wernsdorfii T. V. p. 629.

1. *flumina*] *flamina* Wakef. ad Lucret. V, 816.

obscuro lumine] quia stellae piscium parvae sunt.

2. *dieique*] ms. conf. Schneider. Lat. Gr. II. 1. p. 360 sq. Virg. Aen. I, 636. *dieque* II. *diique* vulgo, Tollius.

3. *condunt*] Scalig. nam conditur aries veniente tauro. *comunt* vulgo.

4. *aridaque*] *aureaque* B. Add. T. II. p. 696.

5. *praeclarus*] rutilo splendore, ut alibi *cancrique figura calentis.* — *prolatus* vel *praevarus* H. inprobante Wakef. ad Lucret. V, 121.

6. *languificosque*] Pithoeus, H. *languificusque* vulgo.

7. *modicum*] an *medium?* *modium* Vinetus. *Inmodicum aestatis Virgo fugat orta teporem* H.

quatiens] i. e. emittens, ut v. 19. *Magna quatit stellas.* Wakef. ad Lucret. IV, 406.

8. *aequatque*] *aequoque* ms.

9. *dispenso*] *dispensans* B. Add. l. l.

10. *effoetos*] Pith. Tollius. *et foetos* vulgo.

denudat] *dinudat* ms.

12. *iubar est spirans*] correxi *est spirans* i. e. spirat, ut M. Cicero in Arateis 566. Aestifer *est pandens* ferventia sidera Cancer. *bruma gelu glacians iubar et aspirans Capricorni* ms. *bruma, gelu glacians, iubare spirat Capricorni* vulgo, prob. Wakef. ad Lucret. IV, 77. *bruma gelu glaciante iubar spirat C.* H. *bruma Getas glacians iubar exspirat C.* Ianus Helvetius Add. T. II. p. 696. — *iubare spirans C.* Scaliger.

13. *quam*] *quem* H.

nebulas] *nebulus rorans liquor alter* ms. *altus* m. 2. *quam sequitur, nebulis rorans, liquor almus Aquarii.* Wakef. ad Lucr. II, 390.

14. *ubi flumina*] *tanta supra circaque vigent tumi flamina mundi* ms., ut ex adnot. Vineti colligo. *circaque vigent hunc flumina mundi* H. *circaque, vigent ubi culmina mundi* Wakef. ad Lucr. II, 361. i. e. ubi aetherea fastigia, florentia signis, expanduntur.

17. *Arctoo*] Scal. *aeterno* vulgo. *alterno* vel *aetherio* H.

18. *fulgentes aethere*] H. *fulgentes aethera* ms. *fulgentem sidera* vulgo.

19. *Magna*] i. e. magna Ursa vel ἡ ἅμαξα: intelligendum ex praecedenti *Arctoo.*

stellas] H. *stellans* vulgo.

20. *conditur*] *conditor oceani ripas cum luce bootis* ms.

67.

Anth. II. 156. ex Plinii Hist. Nat. XXXI, 2. Wernsdorf. in Po. lat. T. IV. p. 547. Conf. Iacobsii Catalog. Poett. Anthol. T. XIII. p. 907. — In Academia, quae Ciceronis fuerat villa, quamque postea Antistius Vetus possedit, eruperunt fontes calidi, perquam salubres oculis, inde aquae Ciceronianae vocati.

1. *quo tua*] *quod tua* vulgo.

3. *Hecademeo*] ex ms. Heinsii recepi. Ἑκάδημος et Ἑκαδημία antique dictum esse, Hermannus quoque ad Aristoph. Nubes v. 1005. demonstravit. *Academiae* vulgo.

sub potiore] *sub meliore* vulgo, sine mss. *cultu splendidiore* Clercquius Add. T. II. p. 724. (Ceteras huius viri coniecturas, cum nullius sint pretii, omisi).

4. *Vetus*] Antistius Vetus, qui in numo consulari occurrit apud Ursinum p. 19. ed. Patin. — Consul fuit a. u. 748.

6. *languida quae*] *languidaque* H.

68.

Anth. II. 221. ex Suetonii Vita Terent. 5. Caesar hos versus epigrammati Ciceronis in eundem Terentium opposuit.

3. *lenibus*] Bentleius ad Hor. Art. Po. 99.

scriptis] *verbis* vulgo.

4. *vis*, *Comica ut*] Bentl. ad Hor. Art. Po. 26. F. A. Wolfius, Ennius Quirinus Viscontius Iconografia Romana T. II. p. 303. atque Orellius in Eclog. Po. lat. p. 256. recte interpunxerunt. — *foret vis Comica*, *ut* vulgo.

6. *unum hoc maceror*] *maceror hoc unum* Oudendorpius.

deesse] bisyllabum.

69.

Anth. IV. 92. In ms. Mediceo et Moroni Divo Iulio Caesari, in ms. Guelferbytano 93. (conf. Eberti Catal.) Augusto, a Scaligero Germanico Caesari tribuitur. Recens esse Schraderus censet in epist. crit. p. LXII., nec in alia fuit Dorvillius sententia. Epigramma graecum, ex quo originem duxit, extat in Anthol. Palat. I. VII, 542.

1. *ludit in Hebro*] ms. *luderet Hebro* vulgo.

3. *traherentur*] *traheremur* ms. Gudian.

4. *abscidit tenerum*] mss. *abscidit heu tenerum* vulgo. *praesecuit* t. Pricaeus. *persequit* ms. Moroni. *persecuit* ms. Voss.

5. *conderet urna*] *conderet urnae* ms. Moroni. *condidit urna* ms. Huydecoper. *condit in urnam* ms. Medic.

6. *peperi flammis*] *flammis peperi* ms. Huydecoper. Gudian.

70.

Anth. III. 10. Dubiae est auctoritatis, ut dicit Scriverius.

1. *Feltria*] oppidum Venetorum proxime Alpes Rhaeticas, quod hodieque Feltrie appellatur. Mannert. Italia T. I. p. 95.

rigore] *rigori* Oudendorpius.

2. *Terra*] Pith. Scriverius. *forte* vulgo.

71.

Anth. II. 47. Ex Scholiasta Lucani ad l. VII, 726. „*Duobus vitiis Pompeius laborabat: nam et favoribus multum gaudebat, ut in primo ipse Lucanus, et vitio superbiae quodammodo tangebatur. Nam uno digito caput scalpebat, quod est superbiae indicium. Unde Martialis de eo in epigrammate* etc. Duos errores Scholiasten commisisse

tradunt viri docti, unum, quod Martiali hoc epigramma tribuit. Seneca enim C. Licinii Calvi esse testatur in Controv. lib. III. controv. 19. p. 257: *Carmina quoque Calvi, quamvis ioca sint, plena sunt ingentis animi. Dicit de Pompeio:*

digito caput uno
Scalpit. Quid credas hunc sibi velle? Virum.

Alter illius error esse dicitur, quod ex memoria et falso quidem epigrammatis verba citet. Scaliger enim pro illis

Magnus, quem metuunt homines

aliud supplementum ex Ammiano Marcellino XVII, 11.; ubi de obtrectatoribus Pompeii agitur, exploravit:

Fasciola qui crura ligat, digito caput uno
scalpit. Quid credas hunc sibi velle? Virum.

Ac Scaligeri coniecturam Scholiastae auctoritate probabiliorem multo esse, nuper Weichertius quoque in Poet. l. Rel. p. 133. affirmavit.

1. *omnes*] *homines* Scholiasta.

72.

Anth. II. 58. ex Suetonii Caes. 49. Conf. Weichert. Poet. lat. Rel. p. 131.

73.

Anth. II. 237. Hi hendecasyllabi apud Suetonium de illustr. grammat. c. 11. leguntur. — Valerius Cato mala ratione vivendi praedia perdidit. Furius poeta causam paupertatis eius dissimulans admirabili Catonem uti sapientia dicit, qui quondam pulchram domum et egregios possederit hortos, nunc mutato consilio omni cultu abstineat, tenui contentus victu. Haec interpretatio cum sequenti in eundem Catonem epigrammate consentire videtur. Aliter iudicavit Weichertius in Poet. l. Rel. p. 358., qui versum quintum de intellectu artium Catonis accipit dicens: *Catonis hortulus quamvis exiguus plurimis ornatus erat Priapi simulacris, quem artis statuariae amorem et scientiam miratur Bibaculus in homine tam paupere.* Non video sane, quomodo is, qui Priapos habet, ob artis studium laudari possit: Priapi enim numquam a veteribus inter artis monumenta enumerantur, ii praesertim, qui in hortis volucrum causa poni solebant, sed munera sunt lasciviae, et is, qui in museo multos habet Priapos, non pro artifice vel aestimatore artium, sed pro lascivo homine haberetur.

1. *forte — Catonis*] *fere — catotini* ms. Sillig. in Iahn. Ann. 1828.

2. *minio*] *nimio assilas et cylios* ib.

3. *custodis v. hortulos Priapi*] mss. *ortalosque lapi* ms. Silligii. *Hortuli* non maius sonant, quam si *hortum* dixisset. Conf. Baumg. Cr. — *custodes v. hortuli Priapos* Scalig. F. A. Wolf. Weichert. vulgo. „*Custodis Priapi* dicitur pro *custode Priapo*, et in ipso hoc genitivo inest lepos.“ — Baumgart.

4. *miretur*] mss. Paris. Voss. Heins. Oudend. Wolf. *miratur* vulgo.

6. *quem*] i. e. ut eum. — *qua celibrua calculus et tros farris* ms. Sill.

tres] *sex* citat Bentl. ad Horat. Serm. I. 4, 110.

7. *racemi*] a iambo incipit hendecasyllabus.

tegula] de paupertino tegurio dicitur. B. ad Petron. IV, 7. 22.

sub una] *sub uda* i. e. quae perpluebat H.

8. *senectam*] *senectas* ms. Sill.

74.

Anth. II. 238. ex Sueton. de ill. gramm. c. 11. Conf. Weichert. Po. lat. Reliq. p. 358. Versus hendecasyllabi.

1. *Catonis*] *ecironis* ms. Sillig.

modo] nuper.

3. *unicum*] *unum* ib.

4. *optimum*] *optimumque* ib.

5. *omnis*] ib. *omnes* vulgo.

6. *deficere*] Toupius ad Suidam T. III. p. 174. Ruhnk. ad Rutil. p. 132. *difficile* vulgo. Weichertio Toupii emendatio non prorsus satisfacit.

7. *en cor*] *en cor enoccatis en lecum Catetis* ms. Sill.

Zenodoti] v. Wolf. in Prolegom. ad Hom. §. 43.

iecur Cratetis] laudatur a Probo in Institutt. grammat. T. I. p. 130. Lind.

Cratetis] v. Wolf. in Proleg. ad Hom. §. 51.

75.

Anth. II. 240. Conf. Weichertii Po. l. Rel. p. 359. Verisimile est, hos quoque versus ex hendecasyllabis Furii Bibaculi sumtos esse, etsi Suetonius de ill. grammat. c. 11. auctoris nomen non adiecit.

2. *solus*] *solos* vulgo.

legit ac facit] praelegendis seu interpretandis poetis ipsos auditores poetas reddit. F. A. Wolf.

76.

Anth. II. 251. Isidorus Orig. l. VI. c. 12. de conficiendis libris p. 132. ed. Basil. 1572.

1. *Arateis*] *Arataeis* vulgo.

2. *movimus*] Cinna amico carmina sua astronomica mittere se dicit. Hanc lectionem tuentur Pithoeus, B., Wakef. ad Lucret. III, 1057, Ruhnkenius in Praef. ad Schellerum s. v. *numerus: „Numeri* pro astronomia ponuntur. *Numeros moventes astra* ap. Lucan. I, 640. intellige astronomiam, quae astrorum motus ad calculos vocat, eorum motus tradit. De hoc loquendi genere, quo quis facere dicitur, quod factum narrat, pulcherrima est animadversio Hemsterhusii ad Thom. Mag. p. 187. Ex eadem ratione explicandus est Ovidius Fast. III, 112., item Cinna *carmina,*

quis ignes movimus aerios. Neutro loco interpretes vim verbi *movere* satis ceperunt." — Peerlkampius in Obss. Anacreonticis p. 161. *movimus* explicat: *astrorum motus, ortus et occasus, cantavimus. novimus* edd. Isidori et ipsa novissima Lindemanni, prob. Weichertio Poet. lat. Rel. p. 197.

aetherios] ms. Grotii, Weichert. *aerios* vulgo. Wakefield.

4. *munera*] *munere* Hand. ad Gronovii Diatr. Statian. p. 196.

77.

Anth. II. 37. Wernsd. Poet. T. IV. p. 587. Prius distichon habemus in Scholiasta Persii II, 36. *Alii volunt Licinum tonsorem ac libertum Augusti Caesaris significari praedivitem, cuius monumentum est pretiosi operis via Salaria prope urbem ad lapidem secundum. De hoc non invenustum Varronis epigramma fertur:*

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato parvo;
Pompeius nullo. credimus esse deos?

Porro in Scholiasta Cruquiano ad Horat. A. Poet. 301. *Licino nomen tonsoris famati, qui postea dicitur factus senator a Caesare, quod odisset Pompeium, de quo hoc scriptum est epitaphium:*

Marmoreo tumulo Licinus iacet, at Cato nullo,
Pompeius parvo: quis putet esse deos?

Varroni Atacino epigramma tribuerunt interpretes, non M. Terentio Varroni Reatino, utpote iuniori poetae, quia in libertum Augusti hoc epitaphium est factum, si Scholiastae Persii fides erit habenda. Sed verior esse videtur alterius Scholiastae observatio. Hic Iulium Caesarem, non Augustum intelligit, ita ut in epigrammate Cato atque Pompeius adversarii Iulii Caesaris, acerbissimo appellentur. At in neutrum eorum versus fecisse Varronem Atacinum arbitratur Fr. Wüllnerus in Commentatione de P. Varrone Atacino (Monasterii 1829). Hunc enim poetam iam ante a. u. 717, a. 37 ante Christum diem obiisse verisimile esse dicit. Cum deinde alius liber Varronis, qui inscribitur *Bellum Sequanicum*, indicet, Varronem inter Caesaris partes fuisse, non Pompeianum, nullam rationem esse putat, cur in Caesaris amicum eum scripsisse credamus. Quare, cum alter codex Scholiastae Persii Tironi, non Varroni, hoc distichon inscribat, hanc lectionem praetulit Wüllnerus. Tironem autem, Ciceronis libertum, usque ad Ol. 193, 4. vixisse, ex Hieronymo scimus.

1. *Licinus tumulo*] *tumulo Licinus* Sch. Horatii. Licinum nomen fuisse tonsoris divitis, hic versus docet, itaque in Iuvenalis Sat. I, 109. et XIV, 306. idem Licinus, non Licinius, ut Ruperti explicat, intelligendus est, et in Senecae Ep. 119 et 120. nomen corrigi debet.

Cato nullo, P. parvo] Schol. Horatii. mss. Voss. et Scaligeri, et ex ceteris Pompeii epitaphiis constat, nactum eum esse tumulum parvum. *at Cato parvo, Pompeius nullo* vulgo. *Marmoreo Licinus tumulo tegitur, Cato parvo: Pompeius nullo. Creditis esse deos?* Casaubon. Add. T. II. p. 716.

2. *quis putet*] Schol. Horatii, mg. Pithoei. *credimus esse deos?* Schol. Persii, vulgo.

3. *saxa*] hoc distichon priori adnexum legitur in Catal. Petronii a Bineto editis et apud Grangaeum ad Iuvenal. I, 109., nec a Varrone proficisci, sed recens esse demonstravit Wüllnerus.

78.

Anth. V. 48 et 49. Opus Varronis Atacini, ex quo hi versus supersunt, *Chorographia* appellatur vel *Varronis Iter*. Prior inscriptio extat apud Priscianum T. I. p. 122. Krehl., quamquam Krehlius *Varro in Orthographia* edidit, et in ms. Zwiccav. *Varro in Cosmographia* legitur, cui lectioni Fr. Wüllnerus magis favet quam alteri *Chorographiae*. Krehlius ipse *Orthographiam* pro bona scriptura habuisse videtur, cum alio quoque loco eandem inscriptionem tueatur, p. 277., ubi dicit, „*Cicero in Orthographia*. Putschius *Chorographia*. Ego lectionem edd. retinendam censui. *Orthographia* enim idem significat, quod *chorographia*." — Altera inscriptio, *Varronis Iter*, in Licentii carmine ad Augustinum (Wernsd. Poet. lat. T. III. p. 420.) invenitur, qui primis sui carminis versibus partem argumenti, quod Chorographia continebat, exponit.

Arcanum Varronis iter scrutando profundi
mens hebet, adversamque fugit conterrita lucem.
Nec mirum: iacet omnis enim mea cura legendi,
te non dante manum, et consurgere sola veretur.
Nam simul ut perplexa viri compendia tanti
volvere suasit amor sacrosque attingere sensus,
queis numerum dedit ille tonis mundumque Tonanti
disseruit canere et pariles agitare choreas:
implicuit varia nostrum caligine pectus,
induxitque animo rerum violentia nubem.
Inde figurarum positas in pulvere formas
posco amens, aliasque graves offendo tenebràs;
ad summam astrorum causas claròsque meatus,
obscuros quorum ille situs per nubila monstrat.
Sic iacui nutans.

Ex hoc loco apparet, carmen Varronis obscurissimum fuisse, et in descriptione totius mundi, cum terrestris, tum coelestis, versatum esse, vel geographiam coeli atque terrarum continere. Poetae geographi graeci simile argumentum iam prius tractaverant. Atque Bernhardy observat ad Dionys. Perieget. p. 521., Varronem Chorographiam suam ad Eratosthenis Mercurium et Geographica composuisse. Plinius vero maior hoc opus Varronis in usum suum convertisse videtur, ut ex indice auctorum libri tertii et quarti constat, ubi Varro Atacinus citatur. Memoriam Varronis Atacini adumbravit Ruhnkenius in Epist. crit. p. 199., postea Wernsdorfius fragmenta illius poetae collegit in Poet. lat. T. IV. p.

559—588; nuper a Fr. Wüllnero commentatio egregia de eodem viro seorsum edita est.

1—5. apud Marium Victorinum Art. gramm. p. 2503.

1. *Vidit*] Varronem descriptionem suam mundi sic instituisse putat Wernsd., ut aliquem sive deum, sive hominem divinitus edoctum, fortasse Pythagoram, omnes siderum orbes terrasque lustrantem de iisque disserentem induceret. Talis ergo speculator ad *vidit* intelligendus est. At fortasse Mercurius enarrator miraculorum coeli in carmine Varroniano fuit, si id, quod Bernhardy ad Dionys. Perieg. pag. 521. adnotavit, Varronem carmen suum ad Eratosthenis Mercurium composuisse (ut modo dixi), verum est. In poemate enim Eratosthenis, quod Mercurius inscriptus est, Mercurius coelum ascendisse, ibique sonos astrorum musicos fuisse admiratus narratur, tum stellas constituisse, tum menses primum instituisse et pervidisse siderum cursus, ut Bernhardy in Eratosthenicis p. 110. scribit. Cum deinde idem vir doctus l. l. p. 149. suspicetur, in Hygini fabula 177. quattuor versus ex Eratosthenis Mercurio, in latinum sermonem conversos, afferri

Tuque Lycaoniae mutatae semine (semina) Nymphae,
quam gelido raptam de vertice Nonacrinae
Oceano prohibet semper se tingere Tethys,
ausa suae quod sit quondam succumbere alumnae,

non abhorrere videtur a veritate, si quis coniiciat, hos versus ex Varronis Chorographia esse sumptos.

4. *laetitia est: at tum*] Rutgers. Lectt. Ven. c. 3. I. Tollius, Gerh. Vossius, Wüllnerus. Conf. B. ad Luxor. 41. *laetitia est: et tum* Wernsd. ad Licentii carmen vs. 7. in Poet. lat. T. III. p. 421. *laetitia stat: tum* ap. M. Victor. Scal. Graevius.

6—9. in Opp. Bedae T. II. De temporum ratione, in Glossis ad cap. 32. pag. 133. ed. Hervagian. a. 1563. de zonis Varro ita dicit:

Et quinque aetherius zonis accingitur orbis,
ac vastant imas hyemes mediamque caloris:
sic terrae extremas inter mediamque coluntur,
quam solis valido numqnam ut auferat igne.

Porro in Salemonis episcopi Constanciensis glossario s. v. *zona*, et apud Isidorum de nat. rerum c. 10.

6. *et quinque*] *at quinque* vulgo, Isidor. *a quinque* Salem.

aetherius] Isidorus, Beda, Pithoeus prob. B. Add. T. II. p. 697. *aetheriis* vulgo.

accingitur] *incingitur* Tollius.

7. *ac vastant*] *at vastant* ex Bedae edit. Colon. a. 1617. citatur.

9. *qua solis*] *quam solis valido nunquam vis auxerat igne* Isidorus. *quam solis valido numquam vis auferat igne* Pithoeus. *quam solis valido numquam adserat ignes* Salemonis Glossar. Legendum est: *quas solis valido numquam vis atterat igne.* Scaligeri enim lectio, quae in contextu legitur, nimis a mss. discedit. Wüllnerus tres coniecturas

proponit: *qua solis valido numquam aestu ferveat ignis* aut *quas solis valido numquam aestu torreat ignis* aut *quas solis valido numquam ardore atterat ignis*.

10 — 12. ap. Priscianum T. I. p. 122. Kr.

10. *et sidera*] *ac sidera* vulgo.

12. *Oceani — Neptuno*] mare, quod totum terrae orbem ambit, Oceanus dicitur, mare vero internum sive mediterraneum Neptunus. Cf. Vossius ad Catullum p. 76. Nec aliter Graeci πόντον opponunt τῷ Ὠκεανῷ. Dionys. Perieget. v. 1. ibique Bernhardy p. 521. Oceanus et Neptunus diversa sunt numina variasque provincias curant. Aliter Wakef. ad Lucret. V, 36., qui corrigit:

Exporrecta iacet tellus: huic extima fluctu
Oceano interior Neptuni cingitur ora.

„Nihil verius. Libri *Oceani* et *Neptuno*.“ — Non liquet.

13. ap. Priscian. T. I. p. 327. Krehl. et Charisium p. 45 et 111. Put.

cingitur] *clauditur* vulgo. Ad *cingitur* intelligitur *Africa* a Burmanno. Inter 12 et 13 versum fragmentum novi versus vulgo legitur *Qu .... Europa ..*, quod omisi, cum nullum eius vestigium sit relictum in Krehlii editione.

14 — 17. Cum Scaliger locum non indicasset, unde hos versus excerpserat, nec Burmannus, nec Wernsdorfius eum invenire poterant. Neque Wüllnero explorare eos contigit. Quod causa fuit, cur indignos eos Varrone, eique abiudicandos esse diceret. Sed nescio an temere iudicarit. Versus enim, licet corrupti, pulcherrimi sunt. Quid multa? Hi quattuor versus in Maittairii Corpore Poetarum p. 1483. atque in Collectione Pisaurensi (T. IV. p. 308.) inter Pacuvii fragmenta leguntur.

Omnivomo oceano Hyperion fulgurat euro,
Arrepto plaustro Boreas bacchatur aheno,
Hesperio Zephyro. sed Orion volvitur austro,
Fulvo acrique noto vaga Cynthia proruit atro.

In Collectione Pisaurensi additur, hos versus ex Diomedis libro III. excerptos esse. Ecce, quomodo in edit. Putschii pag. 498. prorsus aliter scribuntur:

Vocales sunt versus, qui alte producta locutione sonantibus litteris universam dictionem illustrant, ut est ***Illum Paeonia***
non meo oceano Hyperion fulgurat Euro,
Arcto plaustro Boreas bacchatur rheno
Hesperio Zephyro Orion volvitur austro.
Fulva aretonio vaga cynthia proruit austro.

Hic locus praesens auxilium Lindemanni exspectat. Interim coniicere licet, Scaligerum, sive ingenio sive codicibus fretum, hos versus Varroni Atacino vindicasse.

14. *omnivomo*] *omnivago* B.

Oceano Hyperion] ultima primae vocis non eliditur, quod facilius ferri potest, quia voce *Oceano* sententia claudi videtur.

15. *Arctaeo pl.*] *Arctoo pl.* B. *Actaeo* Wernsd. Bootem enim Icarium esse Atheniensem dicit; ut *Actaeus niteat qua luce Bootes* in Valer. Flacco II, 68.

Haemo] B. *Aeno* vulgo. Conf. Valer. Fl. II, 515. [Pro *baubatur* hoc in v., quod ex errore typogr. natum est, lege *bacchatur.*]

16. *Hesperio*] *Hesperio Zephyron* (um) *sed Orion volvit ab astro.* B.

17. *fulvo*] *furvo* vel *udo* B.

18 — 20. leguntur apud Isidorum Origg. XVII, 7. p. 419. ed. Basil. 1577. Burmannus haec fragmenta non addidit, verum Wernsdorfius.

Indica non — minor] Scaliger ad Propertium p. 256. ed. Commel. Ruhnkenius Epist. crit. II. p. 200. — *Indica non magnum (magna* margo) *in arbore crescit arundo* Isidorus Basil. *Indica non magna minus arbore crescit arundo* Vossius, Wernsdorf. *Indica non magna nimis arbore cr. a.* Arevalus, Lindemannus. — De potu dulci, qui ex radicibus calamorum Indicorum premitur, quos alii cum arundine saccharina confuderunt, multos locos congessit Bernhardy ad Dionys. Perieg. v. 1127.

19. *illius e*] *illius et* Isidorus Basil. Sed Arevalus et Lind. *e* dant.

20. *contendere*] Vossius. *concedere* Isid. Basil. et ipsa novissima editio. *Dulci qui nequeat succo concedere mellis* Wernsdorfius.

21. Adieci hoc hemistichium ex Festo v. *tutum* p. 301. ed. 1593. *Tutum frequenter dicitur maxime. Varro in Europa: T u t u m s u b s e d e f u i s s e n t.* Nam huius carminis partes Europam (Gellius N. A. X, 7.), Asiam (Charisius p. 144. citat *Varronem in Asia*), Libyam fuisse arbitror, quod Ruhnkenius quoque in Epist. Crit. II. p. 200. intelligere videtur. — *Tutum* pro *tuto* dictum.

22. Philargyrius ad Virg. Georg. III, 175. citat *Varro Atacinus: Feta feris Libye,* quod ex chorographia Africae sumtum putat Wernsdorfius. Aliter Ruhnk., qui his verbis locum in libris de Argonautis assignat.

23. ap. Servium ad Virg. Ge. II, 404. Sed, ex quo sit libro versus decerptus, incertum est. Wüllnerus elegiis Varronis inseruit.

24 — 30. ap. Servium ad Virg. Ge. I, 375. Hos versus primus in Chorographia collocavit Wüllnerus, quem secutus sum. Cum enim ex Diosemiis Arati 209 — 211 et 222 — 225 in latinum sermonem conversi sint, coniecerat Ruhnkenius in Epist. Crit. p. 200, Arati quoque carmen Varronem latine interpretatum esse, ac seorsum edidisse. Id verum esse negat Wüllnerus. Wernsdorfius autem ex libro Varronis, quem *libros Navales* inscripserit, eos sumtos dicit. Sed haec quoque opinio a Wüllnero impugnatur, qui Varronem Atacinum carmen sub illo nomine edidisse negat, librumque, cui erat index *libri navales*, prosaico sermone compositum, et ab altero Varrone Reatino scriptum censet.

79.

Anth. II. 213. ex Schol. Horat. Cruquiano ad Epist. I. 1, 67. p. 511.

Pupii] *Puppii* vulgo. *Pupium*, non *Puppium* esse scribendum Bentleius docuit ad Hor. Epist. I. 1, 67. Pupius poeta Augusteo aevo

vixit, ut A. Langius in Vindiciis trag. rom. p. 8. demonstrat et Weichert. in Poet. lat. Reliq. p. 276.

1. *mortem meam*] *morte in mea* vulgo, quod aptum est sequenti *in me vivo*.

2. *nam populus*] *nam populus etiam vivo me lacrumatus est* vulgo.

80.

Anth. III. 247. ex Martialis Epigr. lib. XI, 21.

1. *Glaphyren*] Glaphyre, scortum celeberrimum, de quo Dio Cassius XLIX, 32.

Antonius] triumvir.

2. *Fulvia*] uxor Antonii.

3. *si se*] *si me* ed. Schrevel.

Manius] procurator Antonii, Augusti adversarius acerrimus. Conf. Appian. B. Civ. V, 19. Rutgers. Var. Lectt. p. 177.

5. *quid, si*] *quid, quod* ed. Schrevel.

vita — ipsa] ablativi sunt. Mentula potior mihi est quam ipsa vita. Sic pugnae periculum atque mortem sustinere malo quam te futuere!

6. *signa canant*] i. e. incipiamus proelium, da signum pugnae. B. interpretatur *signa receptui canant*, quod vere inprobat Ouwens. in Noctt. Haganis p. 201.

81.

Anth. I. 53. Versus Galliambicos servavit Diomedes p. 514. et Atilius Fortunatianus p. 277.

1. *ades, inquit*] Santenius ad Terentianum p. 380. — *Ades huc, ades Cybebe, dea montigena dea* vulgo. *Ades, inquit, o Cybelle, fera montium dea* Bothius Poet. Scen. T. V. P. I. p. 273. — Naek. in Sched. Crit. p. 23: *Ades, inquit, o Cybele fera montium dea.*

Cybebe] *Cybele* ms. Heinsii, quod falsum est, ut Santenius p. 379. docet; nam, ubicumque secunda huius vocis producenda est, scribitur *Cybebe*. Grotius referente Perlkampio in Biblioth. crit. nova T. IV. p. 175. emendavit:

Ades, inquit, o Cybelle, fera, montivaga dea.

2. *ades et*] Santen. ad Terentian. p. 381. et Both. l. l. — *age tympano sonanti quate flex. caput* vulgo. Grotius ibidem adnotavit: „legendum est *Ades et sonante tympano*, imo *typano;* nam pro iambo est tribrachys ante incisionem. Sic apud Catullum *Typanum tubam Cybelle.*" — Wakef. ad Lucret. II, 618. legit:

Ades huc, ades, Cybebe dea, montigena dea;
age, tympano tonanti quate flexibile caput.

Conf. Nobbius de versu Galliambico.

82.

Anth. II. 224. Isidorus Origg. XIX, 32. ed. 1577. p. 479. *Tinius purus est, primum in Bithinia fabricatus, quam olim tinam vocabant. Flaccus: Lugente mea vita, nec smaragdos berillosque mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quaero, nec cortinalis (quos Tinica lima margo) me perpolibit anulus nec Iaspius capillus.* In aliis quoque edd. Isidori corrupte hi hendecasyllabi leguntur, et extant coniecturae de his versibus virorum doctorum XV, quas legas apud B.; maioris carminis ad Horatium absentem scripti fragmentum esse B. adnotavit.

1. *Lucentes, mea*] Elegi eam recensionem, quae proxime a mss. decedit: neque ea nova est, in Arevali enim editione eamdem legi video, quam Lindemannus quoque secutus est.

Lugent, o mea vita, te zmaragdus,
Beryllus quoque, Flacce, nec nitentes
Nuper, candida margarita, quaero,
Nec, quos Thynica lima perpolivit
Anellos nec iaspios lapillos,

vulgo. Walperga in Prooemio *ad Epistolam Horatii* p. 4. Douzao emendationem horum versuum, qui in omnibus cum recepta convenit, nisi quod in primo versu *lugens te*, *mea* legit, a mss. Taurinensibus confirmari dicit. Ipse pro *lugens te* legit *legens te* i. e. versus tuos, totumque carmen falso Maecenati tribui putat. Ac revera, si quaeres, quis hos hendecasyllabos ei tribuerit, invenies, non ab Isidoro, verum ab editoribus tantum Catalectorum id esse factum. Sed conveniunt quam maxime eius ingenio et moribus, ac simillimi sunt iis, qui proxime sequuntur.

83.

Anth. II. 225. ex Suetonii Vita Horatii. Cf. Vossius de Poet. Lat. p. 21.

2. *plus iam*] *iam plus* vulgo.

3. *hinnulo*] *Ninnio* vulgo. „Nisi nomen hominis latet, malim *Mulo me vid. str.*" Baumg.

84.

Anth. III. 149. ex Senecae epist. 101. Versus Priapeii, quos recepi ex Santenio ad Terentian. p. 370. Maecenas parieti sacelli in hortis Esquilinis Priapei hos versus inscripsit.

2. *tuber adstrue gibberum*] *tuberi adstrue gibberem* Heins. Santen. *gibberum* extans et eminens interpretatur Nonius p. 452.

4. *si sedeam*] *non erat propter originem et indolem Priapei dactylicam, quod dactylus prima ultimi versus sede Lipsium offenderet.* Santen.

Hac mihi vel acuta
Subdas, sustineo cruce.

vulgo.

85.

Anth. I. 63. ex Catalectis Virgilii. „*Ipsius esse Virgilii hoc poemation recte, puto, iudicat Walch. ad Tacit. Agric. p.* 112." Wagnerus in Add. T. IV. edit. Virg. p. 599.

6. *aut puris*] *et puris* Heyn.

7. *corniger hos* etc.] sic mss. corrupte. *Corniger haud aries humilis, sed maxima taurus* Burm. *Corniger hos aries tumulos et maxima taurus* Piersonus Add. Burm. T. II. p. 705. *Corniger ast aries humilis et maxima taurus Victima sacrato tinguet honore focos*, ita ut iungas *humiles focos*, Silligius in Iahnii Ann. 1831. F. II. p. 201. — Wagnerus adnotavit: „*In Burm. emendatione friget epitheton corniger, alienum a re extenuanda. Illud tamen hos humiles sacratos focos ferri vix potest.* At *Corniger hos aries humiles et maxima taurus Victima sacrato tinguet honore focos*, ut Heinsio placuit, equidem probo. Baiterus construit *Corniger aries, humilis victima, et taurus, maxima* (victima) *hos focos sacrato honore tinguet.*

9. *tibi, dea, versicoloribus*] Heins. Burm. Valcken. ad Eur. Hipp. v. 1268. — *tibi aut mille coloribus ales* ms. Voss.

86.

Anth. II. 65. ex Catalectis Virgilii. Octavium eumdem esse, quem inter amicos suos Horatius nominat in Serm. I. 10, 82., contra Burmannum luculenter defendit Weichert. Poet. lat. Reliq. p. 219 sq.

1. *Octavi*] *optavit* ms. Voss.

2. *ah*] *an* Heynius. *an quae Dicuntur nimio pocula ducta mero* B. *dura*] *dira* Oudendorp., *ducta* Heins. i. e. hausta, ut Martial. III, 22. *Summa venenum potione duxisti.* — *a nimio pocula dura mero* Weberus in Corp. Poet. quod placet.

3. *vobis si*] *mortis sed* Iacobsius Spec. Emendatt. p. 99. *nobiscum culpa est leti* Fiedler. in Iahn. Ann. 1831. F. II. p. 201. *nulla tamen culpa est illis* vel *non ita; si culpa est illis* Wagnerus. Scaliger hunc versum octavo subiunxit. *vobiscum si est culpabili* ms. Voss. *Vos cur, si culpa est, bibitis?* V. D. i. e. Octavius mortuus est, quia nimium bibit: cur ergo vos amplius bibetis, si id mortem provocat?

87.

Anth. II. 68. ex Donati Vita Virgilii c. 17. — Virgilius festive dicit, Iovem pluvium nocte regnare, die vero Augustum, lucem terris reddentem. „Totam de hoc disticho et quaternis istis hemistichiis narrationem ineptum grammatici seu monachi commentum esse puta." Heynius. Walperga quoque in Praefat. *Epistolae Horatii ad Augustum* p. 12. hos versus omnes Virgilio prorsus indignos esse dicit.

1. *redeunt at mane serena*] B. prob. Oudendorp. *redeunt spectacula mane* Scalig. *redeunt ad me serena* ms. Thu. 8071.

2. *divisum i. cum Iove*] *commune imp. cum I. C. agis* ms. Leidens. *Dividere cum aliquo* a Plauto Stich. V. 4, 15. dicitur: *factum ego tecum hoc divido*. Senec. Epist. 24. *Hunc ipsum diem cum morte dividimus*. — *Communem imp. cum I. C. agis* ms. Thu.

habes] *habet* Scalig.

88.

Anth. II. 69. ex Donati Vita Virgilii c. 17. Carmen ex pentametris constat ut Anth. II. 99.

89.

Anth. II. 242. ex Catalectis Virgilii. Apud Quintilianum VIII. 3, 28. Iambici scazontes. Recepi ex Wagneri recensione ad T. IV. Virgilii pag. 382. Aliter Huschkius:

Corinthiorum amator iste verborum,
iste iste rhetor: namque quatinus totus
Thucydides Britannus, Attice febris,
Tau Gallicum, min, al, sil, im male sicilit,
ista omnia ista verba miscuit fratri.

Aliter vulgo:

Corinthiorum amator iste verborum
iste iste rhetor: namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticae febris
Tau Gallicum spinae ipsemet malo illisit.
Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

v. 3. *tau*] in Turicensi cod. Quintil. legitur *tau gallicum H* (i. e. enim) *et spinae maleillisit*. Conf. Addenda Wagneri ad Catalecta p. 599. *Tau Gallicum minet prosinet male illisit* ms. Voss.

Abstinui ab hoc epigrammate post doctas curas Huschkiorum ac Wagnerorum, quorum uterque multa praestitit, etsi hic quoque, ut cum Quintiliano dicam, inter virtutes grammatici habebitur, *aliqua nescire*.

90.

Anth. II. 243. ex Catalectis Virgilii. Scazontes.

1. *ite, rh. ampullae*] Wagnerus. *iste hinc inanes ite rethorum manipulle* ms. Helmst. *ite hinc inanes rhetorum manipli* vulgo corrupte.

2. *inflata rore non*] *inflata n... non* ms. Voss.

verba] mss. Wagnerus. *turba* ex coni. Scalig. vulgo.

3. *et vos* etc.] vulgo, nec aliter Wagnerus: *et vos Aelique Tarquitique Varroque* Is. Vossius improbante Schradero in Emendatt. Praef. p. XXXIV. — Albutius Silus a Suetonio de clar. rhet. c. 6. memoratur. De Arquitio nihil constat. Sed quomodo *Silus* primam syllabam brevem habeat, nescio.

4. *natio*] *vario* ms. Voss.

6. *curarum*] *tuarum* ms. Voss.

9. *Syronis*] *Sironis* ms. Voss. *Scironis* vulgo.

10. *vindicabimus*] *vindicamus* ms. Voss.

11. *vos q. lim. saevae*] corruptum. *Ite hinc camenae vos limite sene* ms. Voss. *ite hinc Camoenae. nam nos quoque limite saevae* ms. ap. B. *Ite hinc Camoenae, vosque nam mihi laevae* vel *saevae* Oudend. *Ite h. C., limine ite vos actae* Fiedlerus in Iahn. Ann. 1831. F. II. p. 201. *I. h. C., vos quoque ite suaves* Wagnerus (quod retractavit in Add. p. 600.). *Ite hinc, Camenae, vos item, leves, ite* V. D.

13. *et tamen*] *et in meas* ms. Voss.

91.

Anth. III. 142.

1. *Arretine*] *arietine* ms. Voss. *Surrentine* Schraderus Add. T. II. p. 740. *Abietine* ms. Thu. 8071.

decorate] i. e. in magno honore fuisti, dum in abaco patrum eras. *mensis decor ante paternis* Scal.

2. *ante manum medici*] Gronov. *ante man medici* ms. *Ante Maii medici* vulgo. *ante manus medici* ms. Thuan. 8069 et 8071. Antequam medici manus te attigit, salvus eras.

92.

Anth. III. 248. ex Catalectis Virgilii.

1. *scilicet*] *si licet* ms. Voss.

2. *putus*] inest quaedam lasciviae et obscaenitatis notio, quae in *puero*, etsi hoc vocabulum idem proprie significat, abest.

3. *praecepta*] i. e. artis metricae: *putus* enim prima longa dicitur. Conf. Weichert. Poet. lat. Reliq. p. 119.

93.

Anth. III. 249. ex Catalectis Virgilii. Virgilio a Niebuhrio quoque vindicatur in Hist. Rom. T. I. p. 204.

1. *Syronis*] *Sironis* ms. Voss. *Scironis* vulgo.

2. *tum quoque*] Schrader. Emendat. p. 32. *tu quoque* vulgo. *sic quoque* B. ad T. I. p. 368.

4. *tristius*] *tritius* ms. Voss.

5. *commendo*] *commendo primisque patrem. tu eris illi M. q. f. quodve C. p.* ms. Voss.

94.

Anth. III. 250. ex Catalectis Virgilii.

1. *Delia*] *Delia saepe tibi venit, sed, Tucca, videre*
Non licet. occulitur limine clausa viri.
Delia saepe tibi venit, neque adhuc mihi. namque
Si occulitur, longe est, tangere quod nequeas.

Venerit aut iam iam tibi: sed mihi nuncius iste
Quid prodest? illi dicito, quae rediit.

Scaliger. *De qua Tucca tibi venit, sed saepe videre*

— —

De qua saepe tibi etc.

vulgo.

95.

Anth. III. 268. In codice Huydecoperiano titulus est *Virgilii de Octaviano versus.* Legitur inter Ausonii epigrammata p. 68. In ms. Thuaneo et Regio Colbertino C. Iulio Caesari tribuitur. (Conf. Seebod. Archiv 1824. p. 594.)

1. *dum dubitat natura*] *dum natura marem dubitat faceretne puellam* ms. Voss. in Add. T. I. p. 748.

2. *natus es*] mss. Salm. Voss. Thuan. uterque Reg. Colbert. *factus es* vulgo.

96.

Anth. III. 270. In cod. Salmasiano Virgilio tribuitur.

1. *tibi*] *ubi* ms. Thuan. n. 8069.

Bacchi] *bacci* ms. Salm.

97.

Recepi epigramma ex Donati Vita Virgilii c. 7. *Poeticam puer adhuc auspicatus, in Balistam ludi [gladiatorii] magistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit.* Cur vocab. *gladiatorii* interpolatum esse putem, ex Phocae Vita Virgilii vs. 41. apparet: *Tum Ballista rudem lingua titubante receptum Instituit primum, quem nox armabat, in umbris Grassari solitum: crimen doctrina tegebat. Mox patefacta viri pressa est audacia saxis. Incidit titulum iuvenis, quo pignora vatis Edidit. Auspiciis suffecit poena magistri.*

98.

Anth. II. 198. ex Donati Vita Virgilii c. 14. V. Münter Nachrichten von Neapel und Sicil. p. 41. Morgenstern Reise in Italien T. I. p. 110—115. — In ms. Thuaneo inscribitur *Epitaphium Virgilii, quod sibi ipse moriens fecerat.*

99.

Anth. III. 143.

2. *quod cogitur*] non liquet. *Quod iuvat est dulce quod cogit alta mors est* ms. Thuan. 8069. — In Thuan. 8071. vulgata extat.

100.

Anth. II. 123. ex Catalectis Virgilii. — In Pompeium Magnum aut in Mithridatem regem dictum epigramma putat Scaliger; in Mithridatem

Ruhukenius ad Velleium II. 18, 3. p. 127.; in Alexandrum Magnum Oudendorpius; in Antonium Langius apud Wagnerum; Wagnerus ipse amplius deliberandum censet.

1. *valido*] *video* ms. Voss.

2. *coeli*] *regni* ms. Voss.

3. *terrarum hic bello*] *terrore hic belli* Ruhnk.
magnum] *Magnus* i. e. Pompeius B.

4. *hic populos*] ms. Voss. *et populos* vulgo.

5. *servitium iam iam tibi*, *R.*] ms. Voss. Ruhnk. *servitium tibi iam tibi*, *Roma* vulgo et Wagner.

7. *certamine*] *conamine* vel *molimine* B.

9. *Deum*] ms. Voss. *Deae* vulgo.
tali — nutu] tali arbitrio.

10. *dedit*] *premit* Ruhnk.; conf. adnot. Wagneri.

101.

Anth. II. 124. ex Catalectis Virgilii. Heynius Antonium Musam, non medicum illum Augusti, sed rhetorem intelligit; Andreas Schottus autem et medicum et rhetorem unum eumdemque esse coniicit in libro de claris apud Senecam rhetoribus p. 414. Opp. Senecae a. 1628.

2. *tangere*] *pangere* ms. Voss.

5. *cui Venus*] *convenit* ms. Voss.
ante alios, divi] legendum vel *ante alios divos* vel *ante alios divum*, ita ut Venus et Gratiae omnia dedisse Antonio Musae dicantur.

6. *Musa*] *multa* ms. Voss.

7. *Phoebus, chorus i. Phoebi*] *Phoebi chorus ipseque Phoebus* Scalig. Wagner.

10. *Clio tam*] Casaubon. *Clio nam* vulgo. *Pitho* Fiedler.

12. *contra ut sit*] Conf. Hand. Tursellin. T. II. p. 111. „gesetzt auch, dass du meine Liebe darum nicht erwiederst.

102.

Anth. II. 130. ex Catalectis Virgilii. Parodia est Catulliani carminis quarti, ac sub nomine Sabini Ventidius Bassus, qui ex mulione consul factus est extrema parte anni 711., intelligitur. In eumdem aliud epigramma in Anth. II. 129. legitur.

6. *et hoc negat*] ex Catullo recepi. *neque hoc negat* vulgo.
Tryphonis–Caeruli] Trypho et Caerulus nomina mulionum.

8. *Quintio*] submulionem se ante fuisse ait Quintii nescio cuius. — *equitio* H.

9. *adtotonse*] i. e. adtotondisse. Livineius, Wagner. *adtondisse* vulgo, metro invito, quia secunda brevis esse debet. *adtodisse* Scal.
bidente — forcipe] *forfice* Heynius (tacente Wagnero). Conf. Böttigeri librum, quem inscripsit: Die Sabinerinn T. I. p. 312., ubi *forceps* et *forfex* idem esse vocabulum docet. „Die Alten bedienten sich

da, wo wir Scheeren gebrauchen, nur eines scharfen Messers. Es ist selbst von der Kritik noch sehr unentschieden, ob nicht das Wort forfex, forficula, welches eigentlich nur nach der Autorität des Servius für unsere Scheeren gesetzt wird, nicht eine bloss verschiedene Aussprache des ursprünglichen forceps (das heisst foriceps, ein Herausnehmer. S. Lenneps Etymologic. p. 1206.) forcipula gewesen sey. Je älter und besser die Handschriften sind, desto häufiger findet man überall das ältere Wort forceps anstatt der spätern Leseart forfex. S. Heinse zu Ovids Met. VI, 555. und Oudendorp zum Sueton. S. 292. Ich behaupte daher, dass eigentlich alles, was sie forfex und forficula nannten, nur von Zangen und Zwickeisen zu verstehen sey, so sehr sich auch der gelehrte Rhodius ad Scribon. c. 55. p. 93. Mühe gegeben hat, diess genau zu unterscheiden. Daher wird forfex auch vom Pelikan oder dem Instrument, womit die Zähne ausgenommen werden, von den Alten gebraucht." Haec observatio Böttigeri docet, mutandam non fuisse librorum lectionem.

10. *ne qua sordidum*] *ne quis iorion* mss. Voss. „Iungendum *dura qua iuba*" Wagner. ad Virg. A. I, 8.

14. *ultima ex origine Tua*] *ultima ex origine. Tua* vulgo. Mutavi distinctionem Catullo suasore.

16. *deposisse*] i. e. deposivisse. Scal. Wagner. *deposuisse* vulgo.

17. *orbitosa millia*] i. e. milliaria: vias orbitosas intelligit. Sic Gesnerus in Thes.

18. *iugum tulisse*] i. e. mularum partes suscepisse, si una alterave defessa erat. De subiecto infinitivorum *stetisse, deposisse, tulisse* dubitatur: sed comparatio Catulliani carminis, ubi in paribus versibus *phaselus* subiectum est, docet, hic quoque *Sabinum* intelligendum esse. Wagnerus vero haec omnia non ad ipsum Sabinum, sed repetito ex vs. 19. subiecto ad mulas eius referenda esse dixit. Id nimis quaesitum esse videtur, nec quisquam ad v. 14. *ultima ex origine tua stetisse dicit* aliud subiectum nisi Sabinum intelligere potest, praesertim cum *mula* in praecedentibus versibus non memoretur.

laeva — mula] Scal. Salmas. ad Solin. p. 40. Schraderus in Emendatt. p. XXXVI. *iugum tulisse: laeva, sive dextera Strigare mulas, sive utrumque coeperat* vulgo.

19. *strigare*] i. e. interquiescere, quod in striga castrorum equi faciunt. Strigare vel quiescere vel lassum defectumque esse significat. Phaedr. Fab. III. 6, 9. *Nam ubi strigandum et ubi currendum sit, scio.*

sive utrumque coeperat] Nansius atque Wagnerus optime senserunt, excidisse post v. 19. versiculum: lacunam enim Catulliani versus produnt:

et inde tot per impotentia freta
herum tulisse, laeva sive dextera
vocaret aura, sive utrumque Iupiter
simul secundus incidisset in pedem.

Sensus eius versus, qui deest, hic fere est: sive laeva vel dextera mula defatigari, sive utraque a mala pesti invadi coeperat. Nansius supplevit *sive utrumque coeperat, Et haec et illa conquiescere in latus*, Waguerus *sive utrimque coeperat Pari citata currere impetu viam.* Ii vero, qui causam lacunae perspicere negabunt, leviorem medicinam adhibere malent, coniecturam Salmasii ad Solin. p. 40. amplectendo

sive utrimque coeperat.

22. *praeter*] Salm. *propter* vulgo.

23. *paterna lora*] Sabinus, antequam magistratum curulem capiebat, lora a patre accepta et pectinem, mulionis utensilia, diis vovit.

proximumque] i. e. „iuxta lora suspensum, eodem pariete." Wagner. *buxinumque* Heins.

26. *Castor*] Castor et Pollux numismatum consularium insignia sunt.

103.

Anth. II. 244. ex Catalectis Virgilii.

1. *Socer*] cui nomen Atilius, ut ex epigr. sequenti patet.

alteri] i. e. genero suo.

2. *putidum*] *impudicum* ms. Voss.

3. *tuone*] Scalig. Wagner. *tuoque* vulgo.

ah! tuo] Oudend. *heu tuo* Scal. *et tuo* vulgo.

4. *stupore*] stupor pro homine stupido. Catull. XVIII, 21. *talis ille meus stupor nihil videt, nihil audit.*

pressa] i. e. fututa.

abibit] *rus habitet mihi* ms. Voss.

Hei mihi!] H. Scal. Wagner. *et mihi* vulgo.

5. *pertinet*] *percinat* mss. Voss. *personat* Tollius.

6. *gener*] Catullus enim XXVII, 25. dixit:

Eone nomine imperator unice
Socer generque perdidistis omnia.

Ideo Spengelius (Archiv v. Seebode 1828. F. IV. p. 114.) hic quoque *socer generque* correxit inprobante Wagnero.

104.

Anth. II. 245. ex Catalectis Virgilii.

1. *putidum*] *repuditum* ms. Voss.

5. *Atilium*] eumdem a Suetonio Aug. 86. memorari, ubi Annii Cimbri mentio fit, Tristanus putabat. Hanc opinionem omni fide carere, demonstrat Huschkius De C. Annio Cimbro p. 14.

8. *herneam*] „hernea vel hirnea, quae vasis potorii genus est, pro ipso patre vinolento ponitur, et genero pro altera coniuge et filia Atilii assignatur." Heyn. Conf. Schneider. ad Caton. de Re rust. c. 81.

9. *Thalassio*] *Thalassio*, *Thalasso* ms. Voss. Correxit B. versum ex Mario Victorino A. Gr. III. p. 2585. „Facit versum iambicum trimetrum tam *Simonides* quam *negotio*, repetitum ter, haud alias quam

aiunt fecisse Virgilium nostrum iambico epigrammate *Thalassio Thalassio Thalassio.*"

105.

Anth. II. 246. ex Catalectis Virgilii. Iambici senarii et quaternarii, quo metro decem priores Epodon Horatii sunt compositi. *Lucium Camerium*, in quem Catullus carmen 53., quod ex hendecasyllabis contra leges grammaticorum pugnantibus constat, scripsit, Achilles Statius intelligit.

1. *iacere*] i. e. animo deiectum esse B.

possum] edd. Vicent. Brix. Venet. Wagner. *possim* vulgo.

2. *vectari freta*] ut mare navigare, das Meer befahren. *vectari in freta* Oudend.

3. *aut aestum*] *nec aestum* mss. *aestum nec* Oudend., quod praefero, si in nullo codice *aut* legitur.

5. *mihi ira*] *mihi re* edd. antt. *mihi irae* B.

6. *adsiem*] Wagnerus antique pro *adsim*, quod vulgo legitur metro obstante. *qua sat sim* Scal. *qua iam adsim* Oudend. *quis adsim* Iahnius.

7. *et prostitutae*] valet contubernium *i.* e. memoria violatae sororis recentissima est. *et prestite turpe contubernium sororis quid me incitas* ms. Voss. *hei prostitutae* Scriv. *en prost.* H.

10. *sed furta*] *Caesaris sed furtim* ms. Voss. *si furta* Scriv.

11. *helluato*] *levato* ms. Voss.

14. *udaeque*] *utque* ms. Voss. mox *clamatum insuper.*

17. *femina*] *feminam* vocat cinaedum. *Quid palluisti? feminane an loci dolent?* I. Douza, quod in Add. T. II. p. 728. corrigendum putat B. *Quid palluisti? femina an loci dolent?* ipse metri inscius: *femina* enim sive *femora* primam brevem habet. Sed tota emendatio repudiari debet.

19. *non me vocabis*] „Enarraverat *is*, in quem haec scripta sunt, ut videtur, quae poeta commiserat pudenda; at foediora hic illi exprobrat. Quod cum ita efferat *Non me vocabis* etc., acrius eum urit sugillatque, ea, quae ille sibi obiecerat, comparans cum illius flagitiis multo taetrioribus." Wagner. *nonne vocabis* ms. Voss.

Cotyttia] De Cotyttiis et de toto hoc loco scripsit Lobeckius in Dissert. *De Cotyttiis* 1828. Regiomonti, quae *Aglaophamo* quoque inserta est.

21. *in crocotula*] Oudend. Lobeck. l. l. p. 11. Wagner. *in crocotulam* vulgo,

Movere lumbos nec dein, crocotulae
Prensis videbo alaribus.

Scal.

23. *flavumque propter Thybrim ol.*] ms. Helmst. Douza, Wagner. *propter* dat etiam ms. Rehdig. *flavum prope Thybrim et olentis nauticum* vulgo, metro obstante, quia *prope* ex duabus brevibus constat.

flavum prope et Thybrim te olentes nauticum Oudend. Non videbo invitantem te nautas in ora Tiberina, ubi lasciva nautarum gaudia (ludi Tiberini) celebrabantur, ut te paedicent.

28. *duces*] ms. Voss. B. *ducis* Scalig. *Dapesque Ditis luridas* B. Add. T. II. p. 728.

29. *quibus* etc.] *Quibus repletus ut salivosis aquis*
Os usque lambis eaviis
Et aestuantes noete solvi pantices
Obesam ad uxorem redis.

Scal. *quibus repletus, ut salivosis sacris!* Wagner. i. e. lautissimis pontificum epulis; hinc illa saliva. — *aquae salivosae* i. e. saliva (das Mundwasser), quae praesente lauto convivio esurienti movetur.

31. *noete solvis*] i. e. solvis nocte ventris onus. *nocte* dat Scal. Wagner. *dente* Eldick. Add. T. II. p. 728. *docte* vulgo, quod in metrum peccat. *dote* ms. Voss.

32. *olusque lambis*] Colvius, Wagner. *ossusque labissanus* ms. Voss. *hossusque* ms. Rehdig. *os usque lambis* vulgo.

34. *et*] *en* Scriv. B. conf. Anth. III. 153. *Quisquis es — et nomen dicam: color omnia cogit!*

35. *an*] *en* Scriv.

36. *genuini*] scil. dentes. Die Backenzähne.

39. *herniosi*] herniosus aut pro vinolento ponitur, ut in epigr. praecedenti *hernea* vel *erneum*, aut pro eo, qui herniam patitur (der an einem Bruch leidet).

106.

Anth. II. 122. ex Catalectis Virgilii. Wernsd. Po. lat. T. II. p. 200. Virgilio vindicat Schraderus in Emendatt. p. XXXIII., sed Wagnerus eius esse negat. Assentitur Medenbach Wakker. in Amoen. litt. p. 20. Equidem eidem auctori eam tribuo, qui elegias de Maecenate moribundo scripsit. Nihil similius umquam vidi.

3. *victor*] *victoria est magni: magnum decus ecce triumpho* ms. Voss.

6. *Oenides*] *Eonides* ms. Voss.

7. *nostros*] *doctos* Wagner.

15. *carmina, quae Pylium*] in ms. Helmst. hic versus deest. *carmina, quae nimium* Langius ap. Wagn. Repetitionem eiusdem hemistichii in hoc auctore ferendam puto, praesertim cum in ipso hoc carmine multa similia legantur. In v. 1. *Pauca mihi — Pauca mihi.* 3. *Victor — Victor.* 21. *Certatim ornabant — divae — Certatim divae.* 39. *praemia — praemia.* 57. *ipsa — ipsa.* Hae repetitiones in elegiis quoque de Maecenate creberrimae sunt.

21. *heroïda*] Sulpiciam, Servii Sulpicii oratoris filiam.
divae] *divi* B. Heyn.

23. *alias*] *alios* ms. Voss.

24. *altera* etc.] Munckerus ad Hyginum fab. 185. Wagnerus. *alter non famam dixerit ipse prior* vulgo.

29. *diu volucrum*] *diu multum certamine* ms. Voss.

30. *Graiae quam*] *gravidae quod* ms. Voss.

31. *inpius*] *ipsius* ms. Voss.

32. *Eleis*] *similis* ms. Voss.

34. *inmitti expertae*] Scal. Wagn. *inmitti exspectant* vulgo.

35. *cuius et ob raptum*] *non ocius raptum pulsi* ed. Veneta. *non ab aviis raptum* ms. Voss. An legendum *non cuius ob raptum* vel *non ob cuius raptum*, ita ut *cuius* monosyllabum sit? i. e. non illa, cuius ob violationem etc.

44. *tam procul*] Wagn. pro toto versu alium desiderat, ut *tam procul ignoto bella ciere solo.* — *Tam procul amotos, tam procul a patria* Langius ap. Wagn.

45. *iam frigora, iamque*] *iam sidera iamque calores* ms. Voss. *nunc frigora, nuncque calores* vulgo.

46. *stertere*] *sternere* ms. Voss. „id non spernendum fortasse, ita *sterni* absolute ap. Plin. Epist. VII. 27, 7. *ubi coepit advesperascere, iubet sterni sibi in prima domus parte.*" Wagn. Ac profecto *stertere* aliquid inepti habere videtur.

48. *saepe mare audendo*] Broukhusius, Schrader. in Emendat. p. 35. vulgo. *saepe audendo mari* ms. Voss. De *o* gerundii v. Ramsh. Lat. Gr. p. 1046.

50. *non meminisse*] ms. Helmstad. *non monuisse* ms. Voss. *nec timuisse* vulgo. Conf. Propert. I. 12, 16. *Communis nec meminisse deos.*

51. *perituraque*] *periuria* ms. Voss. *periure* ms. Helmst. *perituraque millia, gentes.* B. *periuraeque ultima gentis* Oudend. Nunc Messalae Afros bello petunt, cuius gentis millia peritura sunt.

59. *nos ea*] i. e. nos carmina Messalae attingere conabimur.

61. *si laudes*] i. e. si laudes carminum tuorum aemuler.

humili sit adire] i. e. liceat humili carmine laudibus me adiungere Messalae poetae. Nec aliter legendum monuit Barthius. *humili licet utar avena* Wagner. *si laudem adspirarem, humilis sed audire cyrenas* ms. Helmst. [In context. lege *sit* pro *sed.*]

> *Nosne ea, quae tecum finxerunt carmina Divi*
> *Cynthius, etc.*
> *Si laudem adspirare humili licet arte Camenae,*
> *Si patrio Graios promere ab ore sales*
> *Possumus; optatis etc.*

Oudend. Add. T. II. p. 723.

> *Si laudes adspirem, humili sit adire Camenas:*
> *Sin patrio Graios carmine habere sales*
> *Possumus,* —

Med. Wakker. Amoen. litt. p. 20.

107.

Anth. III. 293. Carmen venustissimum, nuper editum a Sillgio in T. IV. Virgilii Wagneriani. Conf. Wernsdorf. Po. lat. T. I. p. 648.

1. *Syrisca*] *Syrissa* Ilgen. Est nomen servae, ut *Syrus* servum significat.

4. *calamos*] i. e. crotala.

5. *abesse*] in itinere esse; draussen auf der Strasse seyn.

6. *quam potum*] Ilgen. Sillig. *quid potum viduo* ms. Gudii. *quam potius* vulgo.

7. *obbae*] Il. Ilgen. Sillig. *sunt cuppae, calices* vulgo. *sunt topia et calybae, cyathi* Scalig. Wernsd.

8. *trichila*] pergula.

11. *defusa*] mss. Voss. Petav. Scal. Ilgen. Sillig. Stern ad Gratium v. 474. — *diffusa* vulgo.

12. *est crepitans*] ms. Gud. Ilgen. Sillig. *est strepitans* vulgo.

13. *sunt et Corycio iunctae*] B. Sillig. *sunt et Cecropio iunctae* (*vinctae* ms. Gud.) *de flore coronae* mss. Voss. Leid. *sunt etiam croceo violae de flore corollae* vulgo.

15. *sunt et*] mss. Voss. Leid. Sillig. *et quae virgineo* vulgo.

16. *quae niveis*] ms. Voss. Sillig. *lilia vimineis* vulgo.

17. *scirpea*] ms. Leid. Sillig. *iuncea* vulgo.

18. *autumnalis — deae*] mss. Voss. Leid. Gud. Sillig. *autumnali — die* vulgo.

22. *et pendens*] ms. Helmstad. *est p.* vulgo. Hoc distichon praecedenti praeponendum esse, concinnitas postulat.

25. *huic Cybelista* etc.] Sillig. i. e. „*Gallus ad Priapum venit hac cum prece: asellus quam maxime fessus amplius ire nequit. Coactus sum hac in caupona devertere, quod non nisi timidus facia, gnarus tibi, Priape, asinum omnium invisissimum esse animal.*" — *Huc Alibida veni: fessus iam sudat asellus: Parce illi, vestrum delicium est asinus* vulgo. v. B. ad T. II. p. 372.

33. *formosus t. decerpens*] Sillig. ex ms. Gud. *candida formosae decerpes* vulgo.

37. *pereat — curat*] Sillig. Ilgen. ex mss. *pereant — curant* vulgo.

108.

Anth. T. II. p. 649. Inscribitur in ms. Petav. *Virgilii Maronis Dirae*, in ms. Thuan. Voss. *Dirae Maronis*, in ms. Mediceo *P. Virgilii Maronis Dirarum liber.* In Donati Vita Virgilii atque in Servii praefatione ad Aeneidem tribuuntur Virgilio Dirae. Scaliger vero, quem postea omnes sunt secuti, Valerio Catoni, grammatico, cuius vitam breviter Suetonius descripsit, vindicat. Naekius, Putschius, C. Fr. Hermannus totum hoc fragmentum in duo carmina diviserunt, quorum alterum a v. 104. incipit. Dedi recensionem Putschii.

7. *fient — avena*] Putsch. ex mss. *fuerit — avena* vulgo. Displicet Putschii lectio. *multa prius, fiet quam non mea libera avena* Weber.

9. *inpia. Trinacriae*] vulgo abest interpunctio.

vobis] *nobis* vulgo.

13. *fontes*] *montes* vulgo. Displicet P. lectio.

20. *hinc*] *haec* vulgo.

21. *quae pingunt verna*] *quas pingit avena* vulgo.

22. *spiritus! Agri*] *spiritus agri* vulgo.

26. *lusibus*] *ludimus* vulgo.

28. *tonderis*] *tondemus* vulgo. *tondebis* Web.

30. *carmen, militis*] *carmen. Militis* vulgo.

31. *succidet*] *succedet* vulgo.

32. *umbrae. Formosior*] *umbrae, formosior* v.

35. *flagrabit*] *flagrabunt* v.

37. *Threcis*] *Thracis* v.

41. *non iterum*] *noscet iter, ducens Erebo tua Lydia Ditis* v. Displicet P. lectio.

44. *arb. coni. et ardor*] *arboribus, coniungat et arbor* v.

45. *pertica qua*] *p. quae* v.

48. *vestris*] *vitreis* Heins.

52. *pastus I. ign.*] *pastor I. i.* v.

53. *Libye*] *Libycae* v.

63. *haec, N., tuas in f.*] *si minus, heu, Neptune, tuis infundimus aris* v.

65. *semper flumina*] *flumina semper* v.

66. *merito omnia dicis*] *merita omnia, dixi* v.

69. *rimantibus*] *remeantibus* v.

75. *dicit*] *dicat* v.

76. *fumantes*] *spumantes* v.

78. *queis domini* etc.] *queis dominis infesta minantes stagna relinquant* v. Scaliger coniecit:

Qui dominis infesta minantes stagna relinquant. et sic Weber. Sed v. 79. non liquet.

82. *praetorum*] *pratorum* v.

88. *campis nec abire*] *campos nec adire* v. *campos audire licebit* mss. Naek. Web.

103. *licebit*] *iuvabit* v.

105. *quod*] *quo* v.

106. *nostrum*] *vestrum* v.

133. *dolorem*] *dolore* v.

140. *fuisti*] *fuisset* v.

143. *excurrunt? Atqui*] *excurrens, atque* v. *inque vicem Phoebi currunt, atque* Web.

144. *tui*] *tua* v.

147. *et quem* etc.] *Phoebe gerens in te laurus celebravit amorem,*
Et quem pompa deum non silvis fama locuta est.

v. *Phoebe recens in te laurus celebravit amorem;*
Et quae pompa deum (nisi silvis fama locuta est)
Omnia vos nostis, secum sua gaudia gestat,
Aut inspersa m. videt. Web.

148. *omnia coelestes* etc.] ***Omnia vos estis: secum sua gaudia gestat*** v.

149. *vident*] *videt* v.

157. *vittam*] *vitam* v.

158. *nexae*] *noxae* v.

164. *fata*] *vota* v.

169. *et, quocum*] *et mecum* v. *et quicum* Naek. Web.

170. *quoties super*] *quos insuper* v.

171. *Cypria*] *candida* v.

174. *turpabat malas*] *turpabatque mala fuligine barbam* v.

177. *aurea proles*] *aurea promo* v.

181. *pro sera*] *et sera* v.

182. *fata — partis*] *Tanta meae vitae cordis f. r.* v.

109.

Anth. II. 119. Ms. Voss. inscribit: *Incipit Maecenas Virgilii*, ms. Petri Servii: ***Maecenas Maronis.*** Pedoni Albinovano vindicabat Scaliger, Meibomius, Meinekius. Scholastici alicuius poetae carmen esse, iudicavit Burmannus uterque, Wernsdorfius in Poet. lat. T. II. p. 177., Weichert. in Poet. lat. Reliq. p. 449. Thesis scholastica est de Maecenate. Sententiae abruptae, sermo contortus, mera declamatio. Simillima est haec elegia Pentadii carminibus, quod inde a v. 93 — 102. maxime patet.

1. *iuvenis*] nescio cuius.

3. *enim — et iam*] ms. Scalig. *deflendus erat tam candidus et tam* vulgo. *deflendus enim t. c. et tam* Wernsd. Maecenas aeque atque iuvenis deflendus est, quippe dignus, qui avo suo superstes esset.

4. *avo*] avum maternum et paternum Maecenatis Horatius laudat in Serm. I. 6, 3. Conf. Müller. Die Etrusker T. I. p. 416.

5. *ratis, n. d. carina*] navem Charontis designat more umbratico. Quare dubito, an emendandus sit locus, ut multi volunt. *ratis n. d. rapinis* Oudend. *ratis n. d. carinis* ms. Voss. *irreligata vadis numquam defessa carina* Piersonus Add. T. II. p. 719. *irreligata navis numquam defessa Charontis* Cannegieter. Add. ibidem. *ratis numquam defessa Charontis* Iacobs. Spec. Emend. p. 74. *ratis, numquam defessa rapina* H.

6. *it*] *et* mss. Serv. et Voss. *it redit inmensos semper onusta lacus* Piersonus.

24. *mensis redeuntibus*] i. e. mit der Rückkehr der Tafelfreuden.

25. *ne*] ms. Voss. B. *nec* vulgo. Wernsd.

280.

Anth. III. 59. Avieno tribuit ms. Scriverii, ms. Leidensis Catoni; *Martialis de habitatione ruris* ms. Salmas., ut et inter eiusdem epigrammata lib. IV. 90. legitur.

1. *respondi*] *respondis* mss. Voss. Vatic. Salm. 1m. *respondeo* ms. Wittian. Scriver. Wernsd.

2. *luce deos oro*] mss. Voss. Wittian. Wernsd. Poet. lat. T. III p. 460. T. V. p. 13 et 522. *mane deum exoro* vulgo.

arvaque viso] *arva reviso* mss. Salm. Wittian. Voss. *famulosque arva reviso* ms. Leid.

3. *partitusque*] *partibus atque* ms. Witt. *pastitusque* ms. Leid.

4. *deinde*] ms. H. Salm. *inde* vulgo.

cio] Wakef. ad Lucret. I. 214.

5. *hinc*] ms. Salm. *tunc* vulgo.

6. *stringo*] *scribo* ms. Leid. *strigo* ms. Witt.

animo] *animi* ms. Witt. *gaudens animo et* ms. Salm.

7. *prandeo*] *pandeo pudo ludo labo ceno canto quiesco* ms. Salm. 1m. *prandeo poto ludo lavo cano ceno qu.* 2m.

9. *haec dat*] i. e. haec scripsi noctu. Hic versus una cum praecedenti in ms. Salm. deest.

281.

Anth. II. 187. Turcius Rufius Apronianus Asterius consul fuit a. 494. De alio Turcio Aproniano extat inscriptio ap. Orellium N. 3166.

1. *distincxi*] i. e. versus interpunxi et emendavi. Edidi ex dissert. Heinsii de ms. Mediceo Virgilii p. XXXVII.

3. *tempore quo*] vides, hunc codicem ab Aproniano Asterio emendatum ipso consulatus sui ordinarii anno, et quidem statim post id tem-

pus, quo, consulatum auspicatus, Circenses aliaque populo spectacula exhibuit. H.

penaces] *pinaces* Reinesius; i. e. eine breterne Theaterbude. Penaces enim sive pinaces tabulas, axes et asserea, ex quibus scena construi solebat, significant. *paneces* Valesius, ut pugna variarum ferarum designetur.

4. *scenam euripo*] In *scenam* syllaba posterior longa, et hiatus negligitur. An *scenam cum euripo?* i. e. theatrum et euripum construxi vel scenam euripo addito ornavi. Euripus variis auctorum locis aut aquaeductum aut latam fossam aut lacum ad naumachiae spectaculum effossum significat. Cic. de leg. II. 1. Suet. Caesar. c. 39. Lamprid. Heliogab. c. 23. T. I. p. 851. O. Müller Archaeolog. p. 341. Conf. Anth. III. 15, 13.

5. *ludos*] int. scenicos. *currusque* i. e. certamina curruum.

6. *teneret*] an *videret?*

7. *ternum merui*] i. e. dreifachen Beifall habe ich erlangt. Ternum merui, tria ludorum genera exhibens.

sofos] sophos, egregie.

9. *cucurrit*] Symmach. Epist. I. 14. *Cucurrit quaestus vester in meum commodum.*

10. *serunt*] legendum *ferunt.*

14. *trabeis*] i. e. dignitate consulari.

282.

Anth. I. 147. Mavortius est ille Vettius Agorius Basilius Mavortius, consul a. C. 527., ex cuius recensione Horatium hodie habemus, ut Bentleius in Praefat. ad Horat. p. IX. dicit. Cento Virgilianus. — *Maborti iudicium Paridis* ms. Salm.

1. *acu*] *acus* ms. Salm. Leid. 1m.

3. *visu*] *viso-nomen* ms. Salm. Leid. 1m.

6. *Iuno*] *uno suplex* ms. Salm.

9. *et proprio*] *et propriae distenta ferant tibi lacte capellae Ubera* B. ex Eclog. IV. 21. *Ipsae lacte domum referent distenta capellae Ubera.*

12. *pascentis*] ms. Salm. *pascentes* vulgo.

15. *orsa*] *ursa* ms. Salm.

20. *sic*] *si* ms. Salm.

numen male amicum] *male numen amicum* M. Wakker. p. 153. ex Aen. II. 735.

22. *corripit*] *colligit* Schrader. Add. T. I. p. 724.

23. *dea. Ille*] B. *dea, illa* vulgo. *Ille* sc. Paris.

24. *dulcedine*] *dulcidine* ms. Salm.

27. *Cyrneas*] *gryneas* ms. Salm. Leid. 1m. *Cyrnaeas* 2m.

28. *vaccae*] *baccae* ms. Salm.

30. *hymenaeos*] *umenaeos* ms. Salm.

35. *sententia*] *sententiam* ms. Salm.

36. *Do, quodvis*] Oudend. Add. T. II. p. 710. *Do quodvis, licet* vulgo.

37. *veniam*] *eveniam* ms. Salm.

283.

Anth. VI. 89. T. II. p. 633. Wernsd. Poet. T. III. p. 381 et 386. *Patricio* vel *Patrico* inscribit ms. Barthii. Id non pro nomine auctoris, sed dignitatis potius habent Barthius et B. Contra Wernsd. auctorem esse Patricium dicit; nec sine causa Patricium eum esse puto, cui Commentarios in Ciceronis Topica dedicavit Boethius, quemque rhetorem peritissimum vocat. Docti enim rhetoris hoc epithalamium esse apparet.

3. *aetheria*] B. Wernsd. *aetheriis* vulgo.

25. *exercitus*] „i. e. totum denique agmen sive comitatum Veneris claudit Amorum exercitus, vulgus Amorum, pictis armis choreas agens." Wernsd.

27. *blandito*] *blanditu* B. improb. Wernsd.

33. *cedente — sorore*] Bacchi soror Venus esse dicitur, quia Venus et Bacchus semper fere coniuncti sunt. (Bacchus hatte, sobald die Schwester auszog, Lydien verlassen und ging ihr entgegen.)

38. *sub utroque deo*] i. e. Baccho et Venere.

44. *vestigat*] int. Silenus.

45. *festino Chlorida voto*] B. Wernsd. *festina, Chlorida, vato* vulgo.

49. *sparsas — umbras*] *sparso rumore per urbes* vel *auras* B. improb. Wernsd.

54. *divae*] i. e. Veneris.

55. *inobservata*] iunge *vestigia.*

57. *advertisse*] putat audisse, Hymenaeum elapsum e castris Veneris Romam se contulisse.

58. *victosque iugali*] *vinctosque iugali* B. An *vincloque iugali?* Traxit tum pompam, tum eos, quos Venere ignara coniunxerat.

59. *Diona*] *Dione* B.

61. *alumnos*] B. Wernsd. *alumno* vulgo.

63. *morumque*] opulentia eorum compta nitore morum.

66. *potito*] *politi* (potiti?) B. improb. Wernsd.

68. *pater ipse iugi*] Apollo Heliconis praeses.

77. *Calliopeius*] Hymenaeus Calliopes filius esse fertur.

81. *velis*] B. Wernsd. *velit* vulgo.

82. *amplexate*] i. e. tu, qui pudorem matris imitaris.

284.

Anth. V. 47. *Versus Prisciani de sideribus coeli* ms. Biblioth. S. Germani. *versus Prisciani de astronomia* in Operibus Bedae T. I. p.

517. edit. Hervag. a. 1563., itidem *Prisciano* tribuitur in ms. Bondami. Cf. Var. Lectt. p. 201. *Ausonio* inscribit ms. Scalig., unde inter Ausonii carmina vulgo legitur, p. 546. ed. Toll. *Epitome Phaenomenon Prisciani grammatici* in ms. Hygini

1. *vertuntur*] *iunguntur* ap. Auson.

2. *post has*] ms. Bondam. Auson. *post hac* Beda. *post hos* vulgo.

3. *Cassiepea*] *Cassiopea* Bond. Auson. *Cassiopeia* Beda.

5. *Pegasus*] *Pegasus et Delphinus*, *Telum*, *Aquila*, *Anguitenensque* ap. Auson. Hic versus male factus est, nec aliter v. 8 et 16.

6. *sex hunc*] Bond. Beda. *sex et* vulgo. Auson.

7. *hinc*] *hic* Bond. Auson.

9. *post sunt*] *post hos* Auson.

11. *Hydrus*] Bond. *Idrus* vulgo.

12. *hinc*] *hunc* Auson. *quem* Beda. In hoc v. desinit ms. Bond. et Beda.

15. *hinc*] *hic* Auson.

285.

Anth. V. 139. *Versus Prisciani eloquentissimi de est et non.* ms. Tollii et Christinae Reginae, Vossiani sive Leidenses duo. *Virgilii Maronis De Est et Non* mss. Petav. Thuan. 8069. Parisin. 7927. Vulgo inter Ausonii carmina legitur. (Verte: über Ia und Nein.)

2. *quo*] mss. Vossiani. cf. Bondami Var. Lect. p. 197. *quod* apud Ausonium.

4. *turbae*] *turbida* Thu. Paris.

5. *seorsum*] mss. Vossiani. *seorsis* vulgo. Utroque modo contendere solemus: interdum enim ad hoc *non est*, interdum alterum tantum, sive *est* sive *non*, usurpamus.

6. *ut mores*] Thu. Paris. Gothanus ap. Duebn. *obsistunt studiis, studio res ingeniumque*, vulgo, quod non intelligo.

7. *et facilis*] a vulgata non discessi. *facilis v. difficilis c. nacta* Paris. *faciles vel difficiles c. nacta* Thu.

obsistunt studiis, ut mores ingeniumque
vel faciles vel difficiles contentio nacta est.

ap. Auson.

saepe seorsis
obsistunt studiis, studio res, ingeniumque,
ut facilis vel difficilis contentio nata est.

Bondam. V. L. p. 199.

8. *mora nulla*] int. est.

9. *sin controv.*] *sin contra versum* Thu.

15. *placitis*] placitae disciplinae sunt τὰ ὁμολογούμενα δόγματα. — *placidis* Thu. Par.

16. *placido*] *placito* Thu. Par. *laeto* ms. Goth.

18. *Est lux. Estne dies ergo?*] ex Ausonio mutata tantum distinctione recepi. *estne dies, est ergo dies? non convenit istuc.* vulgo.

istuc] *istic* Thn. Par.

19. *fulguribus*] *fulgoribus* Thu. Par.

24. *murmure*] e Persii Sat. III. 81.

286.

Anth. II. 175. *Eiusdem* (Focae) *imitatio versuum Sulpicii Carthaginiensis* ms. Scalig.

3. *Varius*] *Varus* vulgo. De Vario et Varo v. Weichert. ad Poet. lat. p. 156.

superaddito] *superaddite* mss. Scal. Voss.

4. *non sinis*] *num sinis e. n.?* Oudend. Add. T. II. p. 725. *in Aenean an sinis e. n.?* Heyn.

6. *Troia; bis*] i. e. o Troia! duplex ergo causa futura erat interitus tui! Troia primum per Achillem interiit, iterum per Virgilium interitura erat.

287.

Anth. II. 256. Prooemium Artis Phocae grammatici, quam Lindemannus edidit T. I. p. 321. Cassiodorus eosdem versus libro suo de orthographia praemisit p. 2280.

5. *te relegat*] Lindem. nec aliter Cassiodorus. *te relegant iuvenes, quos* vulgo.

garrula pagina] i. e. ampla rhetorum volumina.

lassat] Lind. *terret* vulgo. Cassiod.

8. *vehis*] *vehens* Cassiod.

12. *contemnat*] Lind. *contemnet* vulgo.

288.

Anth. II. 186. Oda Sapphica a Wernsd. quoque in Poet. T. II. p. 391 et 465. edita est. — *Vita Vergilii a Foca grammatico urbis Romae versibus edita.* ms. Scal. *Vita Vergilii a Foca grammatico urbis Romae perspicacissimo et clarissimo.* ms. Scriverii.

11. *prodit*] *poscit* Klotz. Antib. p. 101.

13. *laborum*] *honorum* Klotz.

21. *his*] Tollius. *hic* vulgo.

7. *locatus*] *locati* Heinsius.

21. *Chelis*] Heyn. *Chelas* vulgo.

37. *in omen*] Tollius. *in omne* vulgo.

66. *te sibi*] Klotz. *et sibi* vulgo.

78. *vastant*] Heins. *vastat* vulgo.

88. *qui*] Tollius. *quid* vulgo.

89. *huic*] Tollius. *hic* vulgo.

106. *luxavit corpora*] An *luxavit viscera morbus?*

289.

Anth. II. 185. Praecedentis carminis esse fragmentum, Burmannus opinatus est.

1. *si lingua locuta est*] supplevi ex A. II. 184, 21., unde hoc carmen sumtum est.

290.

Anth. VI. 85. Florentinus, Flavii Felicis et Luxorii, quorum carmina mox sequuntur, aequalis, circa finem seculi quinti Thrasamundo regnante vixit Carthagine, quae tunc temporis altera Roma fuit. Conf. Gibbon. T. VIII. cap. 33. p. 126.

3. *regnantis Libyae*] duplici modo accipi potest: Thrasamundi decus est gloria mundi vel gloria Libyae, quae nunc orbem terrarum dominatur, *aut* Thrasamundi, qui Libyae regnat, decus est gloria mundi.

4. *sed radiante micans*] *radians* pro sole dicitur.

12. *quod Seres*] B. *quo Seres* vulgo.

13. *pretiosa praemia*] ep. 284, 8. *Librā*, *Scorpius*. — *pretiosaque praemia* B.

14. *tegmine quod fulgent*] *tegmine quo fulgent* legendum, i. e. tegmen, quo fulgent Seres, admisto murice, vestes.

15. *quod fundit*] B. in adnotat. *quos fundit* vulgo.

16. *si quid*] legendum *si quae*. — *si quis* ms. Leid.

17. *cui*] mss. Salm. Leid. *cum* vulgo.

20. *filia Alianas*] *Alianas*, *atis* est adiectivum. Urbs Aliana thermaeque Alianae, a Thrasamundo rege constructae, a Flavio Felice celebrantur carminibus.

21. *merito*] ms. Divion. *meriti* Salm. et Leid. *meritis* B.

24. *celsum*] non liquet.

29. *Carthago in regem victrix*] *Carthago in rege est victrix* B. *C. in rege invictrix* Is. Vossius.

30. *Carthago Asdingis*] „das Asdingische Karthago." Vandali, quorum rex Thrasamundus, e stirpe Asdingorum erant.

291.

Anth. III. 54. *De terminis Alianarum Felicis V. C.* ms. Salm. *de thermis* mgo. De Flavio Felice, qui sub Thrasamundo rege vixit, disputat B. ad Anth. VI. 86. De thermis Alianis prope Carthaginem in altis rupibus sitis dixit Meermannus ad Luxor. 85, 20.

2. *claro*] *Pario* Klotz. in Antib. p. 111.

4. *litoreique*] Oudend. *lituraeque* vulgo.

7. *rex* [(ita corrige in context. pro *vox*)] Ruhnken. ad Rutil. Lup. p. 53. Schraderus ad Anth. VI. 86. T. II. p. 631. *pubica rex populis Thrasamundo gaudia novit* ms. Leid. *publica vox* vulgo. Conf. Anth. III. 37, 2. *Hic pia rex populis Thrasamundus vota dicavit.*

8. *omnia secla suis*] Ruhnk. l. l. *nomina secla suis* vulgo. *numine secla suo* Schrader. l. l. prob. B.

292.

Anth. III. 35.

2. *dies*] i. e. sol in his calidis thermis duplici fervore candet. Sed cf. Anth. III. 37, 12.

3. *hoc uno*] Vossius, i. e. hoc opus uno in anno fecit rex Thr.— *hic unus* vulgo.

4. *populis*] *parvis* vel *paucis* Oudendorp.

9. *est et nullos*] *stet nullos* ms. Leid. *stēt nullos fra* itur* ms. Divion.

pascitur] ut ignis mortuos in rogo consumit.

12. *lavat*] B. *labat* ms. Leidens. *cubat* vulgo.

293.

Anth. III. 36.

2. *sensit*] ms. Leid. Schrader. Add. T. II. p. 733. *sentit* vulgo.

5. *constat concordia*] Schrader. *gestat cum cordia* ms. Leid. *gestant concordia* ms. Divion. vulgo. *hic stat concordia* mg. Divion.

6. *ac stupet*] Is. Vossius. *hac stupet* vulgo. *hic st.* B.

8. *medicus pectora fota*] ms. Leid. *tepidus pectora tota* vulgo.

294.

Anth. III. 37.

5. *meritis altaribus*] Burm. T. II. p. 631. adnotat, poetam merita altaria a rege Thrasamundo in urbe Alians erecta vocasse, quae Catholicis sen Omousiinis destinata erant, si quidem initio regni sui benevolentia sibi devincire Catholicos studuisse Thrasamundum constat.

9. *nemo*] supplevit Oudend. *nullus* B. Lacuna in mss.

11. *torrent*] van Kooten ad Pindarum Thebanum p. 279. *torrere* enim de frigore eleganter dicitur. *terrent* vulgo.

295.

Anth. VI. 86. Victorianum eundem esse, qui cum Nicomacho Livii exemplaria emendavit, B. ad Anth. III. 34. dicit.

4. *stolida*] contra metrum; duae enim priores breves sunt. *squalida* B.

5. *sanabant*] int. homines.

13. *plenus*] *maius* B.

14. *infirmos*] B. *informes* vulgo.

17. *meroris*] contra metrum. *doloris* B.

20. *iura*] i. e. nec consul (fasces) nec praetor fieri volo.

25. *seductus f. praedae*] *seductus* i. e. illectus, inescatus. *seductus foenore praedo* marg. ms. Divionens. B.

34. *semper*] *sospes* B.

38. *orsa feras*] *orsa* i. e. dicta, preces, trage meine Bitte dem Könige vor. Virg. Aen. VII. 435. *orsa ore referre.*

296.

Auth. T. II. p. 579. In ms. Divionensi legitur *Incipit liber epigrammaton Luxorii Viri Clarissimi et Spectabilis.* Luxorius circa finem seculi quinti in Africa floruit sub Thrasamundo, Vandalorum rege. Inde ab hoc epigrammate usque ad 384. eiusdem sunt poetae.

297.

D'Orville quoque edidit in Miscell. Obss. nov. T. V. p. 484.

298.

3. *corde perito*] B. *conde perite* vulgo.

299.

Ep. 1.

6. *reductos*] B. *deductos* vulgo.

9. *aestimavit*] B. *ut amavit* vulgo.

16. *credideris*] *tradideris* B.

18. *tam te*] ita scripsi: respondet enim *quam me.* — *tantae* vulgo.

21. *secutum*] B. *securum* vulgo.

300.

Ep. 2.

4. *frivolisque sensibus*] sic scripsi. *tribulisque sensibus* vulgo. Sin *tribulis* placet, legas *tribulis atque sentibus.*

7 et 8. versus corrupti. In *sona* latet fortasse *pagina.*

9. *libenter*] *libentur* vulgo.

301.

Ep. 3.

6. *squalebas*] ita scripsi. *sau alebas* ms. Salm. *sava labas* ms. Div. *latebas* B., quod displicet propter iambum in prima sede.

8. *inter Romulidas*] i. e. Romae et Carthagine.

9. *claudere*] est imperativus verbi passivi, ut in Virg. Aen. III. 405., *velare*, in quo olim lapsus fuit Heynius.

302.

Ep. 4. Primum versum sic supplendum existimo: *Parva quidem, fateor, sunt huius carmina libri.*

2. *concludi*] ita scripsi. *condi* mss. Salm. Div. *condi de mensibus* B.

3. *faciles*] An *graciles*, id est, breves, exiguos?

4. *deprendere usum*] An *deprendier?* sic certe metro succurritur. Sic IX. 10. *credier.*

303.

Ep. 5.

3. *pupugit*] *pupescit* ms. Salm. Num *repungit*, *retundit*, *repellit*, *fastidit?* Nam praesens tempus requiritur. — *pubescit* B. Malo *pudescit*.

4. *roscidus sed*] sic scripsi. *roscidus et* vulgo.

6. *transnatat*] sic scripsi. *transnatans* vulgo.

8. *aptum*] an *aptus?* ut haec qualiscunque sententia eruatur: Sic ille discit, quam sit aptus, vincere famem ventris arte id est gestu loquaci et vertice mitiore.

304.

Ep. 6. Archilochium metrum s. elegiambus.

2. *frangere et*] addidi *et*, quod vulgo abest.

4. *famulas—minas*] interpretari licet ad imperium paratas, sequaces, ut XVII. 2. *famulas feras*. Equidem hoc loco *rabidas minas* quaerebam.

305.

Ep. 7.

1. *ab Aurora*] eiicienda est praepositio *ab*.

3. *at te*] ita scripsi. *ut te* vulgo, quod incommodum est, quia sequitur *nec*.

paravit] i. e. quanta te celeritate deus ventorum ornavit!

4. *in antra*] i. e. ad ministerium Zephyri.

6. *facie es*] sic scripsi. *facies* ms. Salm. *facie* sine *es* vulgo. *facie, non tamen es genio*. B.

306.

Ep. 8.

2. *leves*] *laeves* vulgo.

4. *audiant*] offendit coniunctivus, cum praecesserit indicativus *diceris*.

307.

Ep. 9.

4. *foedae*] Heins. *ferae* vulgo.

5. *facundior*] non memini, usquam primam in vocabulo *facundus* corripi, nec iuvat corrigi *fecundior*, licet hoc magis conveniat cum v. 6. *steriles*. An *disertior?*

9. *agnovi, et video*] ita scripsi. *agnovi ut video* vulgo.

308.

Ep. 10.

5. *Plora ne*] nescio an legendum sit:

Plora. Ne futuas peto, Lucine.
Aut semper bibe taediumque plange,
aut etc.

309.

Ep. 11. De carminis sententia mihi non liquet.

3. *mitellam*] mitella sive mitra est tegumentum capitis virginum deo sacratarum atque pontificum.

4. *capitis*] hic versus una syllaba brevior.

310.

Ep. 12.

6. *fame*] in hoc nomine alias ultima solet produci.

7. *crederis*] an *credis?* cetera corrupta sunt.

9. *quod petas*] versus mutilatus est.

311.

Ep. 13.

1. *pondere vel faeto*] an *vesano?* Ac nescio an sermo sit de iumentis sive pecudibus, quas male pascens pondere obesi corporis sui presserit.

312.

Ep. 14.

7. *Libycis*] *Lybicis* vulgo.

8. *quae decuit*] B. *quam decuit* vulgo.

313.

Ep. 15.

5. *de faetis*] num *de fastis?* Medicos logicos ac methodicos iam ex Celsi praefatione librorum de medicina novimus.

6. *methodicis*] notabilis est syllaba prima porrecta.

11. *libeat*] B. *liberat* vulgo.

12. *conspectos*] corruptum.

314.

Ep. 16.

1. *gula*] metro iuvito: prima enim brevis. *ventre* Salmasius.

4. *numina*] int. *quaere.*

315.

Ep. 17.

4. *pinguia Benventi*] *pinguia lenenutu lustra molorcos* ms. Salm. *pinguia bernuta* ms. Divion. *pinguia Benenti* Meermann. *laeta Cleonaeus lustra M. habet.* B., quia Molorchus Cleonaeus erat.

7. *omnibus in medium*] i. e. omnibus patens.

13. *virtutis*] sic *turris* B.

16. *aptasti*] legendum *optasti.*

316.

Ep. 18.

6. *numerum*] *munerum* B. invito metro; sed retractavit in Corrigendis p. 785. *nemorum* Schraderus. recte.

8. *prope*] metro vitiato. Legendum *pro te* i. e. in tui gratiam reliquerunt patriam suam.

317.

Ep. 19.

318.

Ep. 20.

4. *esse inter*] Num

Tantum nec sequitur capitque quidquam
escae. Inter iuvenes cupit vocari
baudus, dum etc., an

Esse inter iuvenes cupit, vocari
baudus, dum etc.?

6. *praevaleat*] B. *provaleat* vulgo.

7. *mori*] praeter morem prima syllaba producitur.

319.

Ep. 21.

5. *orge*] B. sed vitiosa est lectio. *oge* mss. Salm. Leid. Div.

320.

Ep. 22.

321.

Ep. 23.

322.

Ep. 24.

323.

Ep. 25.

4. *quorum limen — sedes*] aut *quorum ad limen — sedes*, aut *quorum limen — tenes* legendum. Interim infra ep. 337. legitur *simia blanda sedet canem* i. e. in cane.

324.

Ep. 26.

2. *iuncea forma*] similiter *iuncea virgo* dicitur tenuis et gracilis.

325.

Ep. 27.

3. *una velut domus*] ita scripsi. *una velut domu.* vulgo.

7. *quesumus numina*] ita scripsi. *quesumus nomina* vulgo. Non muto *quesumus*, quod ex *quaesumus* corripitur; infra enim similiter *Terror Egyptiacus* et *prēmium*. Cf. Anth. II. 109. vel epigr. 810.

326.

Ep. 28.

327.

Ep. 29.

2. *carmine*] *carmina* B.

3. *indoctaque*] offendimur longitudine tertiae syllabae. *indoctaque malis verba facis voce* B. quod retractavit in Add. p. 785. An *indocta atque?* Similiter autem *atque* postponitur in epigr. 349, 3. *fecerat atque*; nec aliter corrigi potest ep. 377, 1.

7. *ni rite incapies* etc.] legendum *si rite incipias sibila, tum canunt.* So machen es auch die Vögel bei uns, wenn man ihnen recht pfeift, so singen sie.

328.

Ep. 30.

329.

Ep. 31.

1. *Sternis*] legendum *stertis.*

2. *dei*] legendum *diei.*

3. *nox taetra*] ms. Voss. *nox trita* vulgo. In *vigilias* prima contra usum longa est.

5. *aut si*] legendum *at, si.*

6. *vivus*] num interpungas *vivus ad antipodas sis velut: inde redi.?*

330.

Ep. 32.

2. *post Superos*] nach der Oberwelt.

331.

Ep. 33.

4. *gelu*] i. e. das Wasser läuft über Krystallfelsen hinunter.

9. *signatum*] i. e. clausum, circumdatum.

12. *quae circum*] haec lectio vera est; si *circum* pro adverbio habebimus; sin substantivum est, legas *qua circum* vel *qui circum.*

332.

Ep. 34.

4. *Becca*] *belle* B.

5. *talento vendere*] haec iungo. B. post *talento* interpunxit.

333.

Ep. 35. Anapaesti.

5. *inscios*] mensuram vitiat.

8. *scire vel ipsa*] *scire vel ipsam filius umquam* B. in Corrigendis p. 785.

334.

Ep. 36.

5. *praemia*] *praemina* vulgo.

7. *puto*] B. *reputo* vulgo.

8. *sed in agmine*] *se dinagine vindere* ms. Salm. *in luxum cuperes sed mage vendere.* B.

335.

Ep. 37.

1. *Phaëthon*] *Phaeton* vulgo, ut in v. 3.

Veneto nolente] aurigarum alii Veneti, Prasiani alii vocantur, ut in epigr. 335.

2. *atque agilis*] si haec sana sunt, superioribus adiungenda videntur. Quamquam nomen aliquod proprium, conveniens praecedentibus, expectabam.

336.

Ep. 38.

2. *culpat*] B. *culpa* vulgo. Burmanni emendationem magis etiam probarem, si de constructione *culpare aliquem alicuius rei* mihi constaret.

337.

Ep. 39.

6. *detur*] in hoc verbo prima praeter morem corripitur.

338.

Ep. 40.

3. *populis*] corruptum. An *inflatumque caput plagis,?*

amica ruinis] intelligi possunt brachia, quae hominis istius casui seu ruinae sunt opportuna.

5. *cadit, et rursum*] vulgo deest *et*.

339.

Ep. 41.

2. *priscorum*] i. e. priscorum aurigarum similis.

6. *palma est, at*] B. *palma stat* vulgo.

340.

Ep. 42.

341.

Ep. 43.

2. *quem pavet*] construe: mira voluptas reddita est, ut simia blanda sedeat canem, quem pavet.

3. *quanto magna*] legendum *quantum magna* i. e. quanta tempora, welch grosse Zeiten bereiten das dem glücklichen Reiche, dass auch die wilden Thiere den Frieden anerkennen!

342.

Ep. 44.

343.

Ep. 45.

Eugeti] legendum esse *Evageti*, qui Hildrici regis agnatus est, et a Luxorio varia dialecto infra in epigr. 58. *Oages* vocatur, Meermannus adnotavit.

3. *quo subit*] *quo fovet* B.

7. *quo se Heliconiades*] sic scripsi. Nota dactylum primo loco positum. *quos Heliconiades* vulgo.

8. *numquam minus*] i. e. cui numquam non amoena frondis est, vel cui semper virens frons est.

amoena frondis] *frondis* nominativus est pro vulgari *frons.*

10. *cui — parit*] legendum aut *quo — solit* aut *quem — pascit*, ut *polus pascit sidera* ap. Virg.

12. *resultans*] legendum *resultat.*

14. *unus fam. locus*] mgo. ms. Leidens. *hoc uni famulans loco ministrat.* vulgo.

344.

Ep. 46.

12. *quam superatus erat*] i. e. plusque furit vincens quam furens erat, superatus, vel plusque furit vincens quam cum superatus erat.

345.

Ep. 47.

346.

Ep. 48.

347.

Ep. 49.

1. *praecedis*] legendum *Procedis, Vico, nec tamen praecedis.* i. e. procedis in campum, Vico, nec tamen umquam victor decedis.

5. *hac m. misero*] B. (Add. p. 700.) *ac mollis misera teneris usu.* vulgo.

348.

Ep. 50.

6. *indicet*] i. e. non purum obsequium amicis inservit, sed vult potius, ut indicet, quae videt. officiosus est, ut habeat, quod spargere possit rumoribus.

7. *non sua*] i. e. is, qui te paranymphum habet, non sua rota sortitur, sed tua: sortitur enim, non quod sibi, sed quod tibi gratum est, cum larga dona tibi danda sint, nec famam ipsius laedas.

349.

Ep. 51.

3. *fecerat — maritum, esset ut*] i. e. effecerat, ut maritus suus esset tacens; sie hatte gemacht, dass ihr Mann um ihrer groben Zunge willen wie ein Thor schweigen musste.

5. *cernebat*] i. e. adspiciebat; so oft er sie mit eifriger Liebe anblickte, so ward er versteinert.

7. *tandem, haec*] utcumque ferri potest. Nescio an *tacitas.*

350.

Ep. 52.

4. *ebrietatis*] *et virtutis* mg. ms. Leidens., quod a reliquis versibus haud discordat.

351.

Ep. 53.

2. *negotii*] prima vitiose producta est.

352.

Ep. 54.

5. *hostes*] alii praeferant *hostis*.

furaxve] B. in nota scripsit *furaxque*, minus, opinor, recte.

353.

Ep. 55.

354.

Ep. 56.

2. *a senio*] alius *a* explicabit *prae*, in Vergleichung mit, alius *ah!* praeferet, alius *a* corruptum putabit.

6. *luxus agit*] i. e. voluptas omnes homines consumit, sive est viribus fortis, sive annosus.

355.

Ep. 57.

4. *firmas*] i. e. affirmas, ut in ep. 358. *errorem in terris firmat non coelitus esse*.

10. *habet*] *habes* ms. Salm. i. e. was du nicht immer besitzest, ist unangenehmer, lange zu besitzen. *Quos dum semper habes, tristius, esse diu, est.* B.

356.

Ep. 58.

3. *Demira*] an nomen huius puellae? an imperativus verbi obsoleti *demirare?* an adiectivum est?

8. *verecundo*] praeter morem secunda corripitur.

12. *vernare*] nescio an *variare*.

14. *iustis inter videt esse*] tmesis pro *videt interesse:* si minus, legendum est *iustas inter videt esse catervas*.

357.

Ep. 59. Idem in Anth. III. 32. iam ediderat B. *Carnensibus* ms. Divion. *Carpensibus* aut *Cirnensibus* Meermannus.

2. *nunc metuenda*] *non metuenda* Oudend. ad III. 32. quod inprobo, quia sequitur *prius:* ferae nunc hic commorari metuunt, quae antea solae nemus tenuerant.

3. *qua deserta*] an *quo deserta?*

7. *hic*] *haec* Oudend.

ignotas stupet] non liquet. Legendum ex ms. Div. et Leid. *ignota stupet ad praetoria* i. e. Vulcanus stupet, nova praetoria hoc, quod antea desertum erat, loco cernens.

11. *fotus*] *foetus* legitur in A. III. 32. inprobante B. Add. T. II. p. 733.

9*

358.

Ep. 60.

2. *prolixae — te*] *prolixe — se* ms. Thuan. 1.

3. *Chilon*] *Cilo* ms. Thu.

6. *tu*] *te* ms. Thu.

7. *acri*] *agri* ms. Thu.

8. *errorem*] *terrorem* ms. Thu.

9. *Bias*] prima longa: in A. III. 109, 4. *Bias* duas breves habet. — *inde piri ne abias* ms. Thu.

11. *Periandrus*] *periandres* ms. Thu. — Secunda longa, quae alias in A. III. 109, 2. brevis est.

12. *constituas*] *constituit* ms. Thu. *constituit — medita* ms. Thu., in quo bis legitur.

13. *Cleobulus*] *Cleobolus* ms. Thu. In hoc quoque nomine nova reperitur quantitas syllabarum.

359.

Ep. 61.

4. *perpetuis — frontibus*] Ianuarius frontes annorum tenet.

360.

Ep. 62.

14. *foedior*] construe: *quantum foedior est alter pulcher sine viribus.*

361.

Ep. 63.

1. *artiferarum*] legendum *Venator iucunde nimis atque arte ferarum Saepe placens* i. e. Venator ferarum, iucunde nimis atque arte saepe placens.

11. *ferre triumpho*] i. e. quem non arx Carthaginis communi populi laetitia amplecti poterat.

362.

Ep. 64.

1. *fulgiduli*] B. *fulgidi* vulgo.

2. *ante*] B. *arte* vulgo.

363.

Ep. 65.

1. *candidulo*] B. *candenti* vulgo.

4. *per florem*] i. e. ut vivere videretur propter flores, qui statuam suam vestiebant.

364.

Ep. 66.

2. *iter amittens*] i. e. des Lichtes beraubt, mit einer Stirne ohne Augen, keinen Weg mehr kennend.

6. *credo, quod ille*] anapaestus affectatus. nescio an *credo, quod illos nolit habere.*

365.

Ep. 67.

366.

Ep. 68.

9. *imis* — *turba*] utrumque corruptum. Legendum *vincit membra nimis latratu fortia* i. e. vincit latratu alios fortiores canes. Sed *turba* aliis emendandum relinquo.

367.

Ep. 69.

3. *duxit*] *iunxit* B.

4. *agminari*] i. e. qui nesciunt in agmine duci; si haec explicatio dura, legas: *mero gravatas, ac minari* vel *comminari nescias*.

6. *forma*] an *fama?*

8. *praedam*] B. *qui praedam* vulgo. Sed *qui* metrum sensumque corrumpit.

9. *famem d. pati*] i. e. non laniant praedam.

11. *o quod*] num *o quam*, an *o quis?* i. e. Quantus magister mortalium est terror!

13. *repertos ut* c. etc.] B. *morsu repertis et cibis non audeant* vulgo. Ac fortasse in vulgata lectione nihil nisi *et* in *ut* mutandum est, quia versus ultimus deesse videtur.

368.

Ep. 70.

2. *libido*] *libitum* B.

8. *pro te non etiam*] emendo: *pro te non etiam ut gaudia deserant.*

369.

Ep. 71.

1. *quid* etc.] Duo primi versus cum ceteris non conveniunt.

370.

Ep. 72.

3. *potaris recto*] *potare ast recto* B. Nescio cur B. *potare* maluerit quam *potari*. Sed et *recto Baccho* obscurum est. In mentem venit *stricto*, id est, tenaci, qui non continuo effluat.

4. *si parte horridius* etc.] ms. Salm. *si parte inferius horridiore bibas* vulgo.

371.

Ep. 73. Edidit B. iam in Anth. III. 222.

3. *laude*] *lege* Anth. III. 222.

6. *exoptas*] B. *exoptans* vulgo.

7. *exosa*] *odiosa* Anth. III. 222.

372.

Ep. 74.

3. *Burdo*] Anth. V. 164. *Burdonem sonipes generat commixtus asellus.*

sophismate] prima longa.

4. *vel ratione*] An *et ratione?* Sed *vel* itidem pro *et* in epigr. 374, 2. invenitur, qualia multis locis notavit Salmasius ad Scriptores H. Aug.

6. *redit*] i. e. inter mortales revertitur; kehrt auf die Welt zurück.

373.

Ep. 75.

3. *si etiam centum fol.*] ms. Salm. prob. Boissonad. ad Nicetam T. II. p. 220. — *si centum etiam foliis* vulgo.

4. *omni sanguine*] Boisson. *omnis sanguine* vulgo. *In hac* fortasse in *in hanc* transire debet.

5. *sidus, haec*] syllaba brevis *us* producitur ante *h:* ut epigr. sequenti v. 2. *Phrygius Hector;* v. 4. *fictus Hector.*

374.

Ep. 76.

5. *Priamidis*] i. e. filii Priami, Hectoris. Notabile est propter syllabam primam porrectam.

6. *superis*] i. e. hominibus.

375.

Ep. 77.

2. *in salsis*] ms. Leid. in marg. *insulsis* vulgo.

376.

Ep. 78.

1. *parietibus*] media syllaba praeter morem producta.

6. *hinc*] i. e. ex hoc horto. Nihil aliud medici ad sanandos morbos habent, nisi quod ex hoc horto arcessere possunt.

7. *quod coelicola est*] *iam, puto, coelicola est hortus, ubi n. r.* B. *Puto, quod* nolim mutari, quoniam frequens est in hoc poeta, ut *credo quod.* An *Iam puto, quod coeli locus est?*

377.

Ep. 79.

1. *cuncta atque animalia*] sic scripsi. *cunctaque animalia* vulgo. *et cuncta animalia* B. Conf. supra ep. 327.

4. *Picus*] *picus* vulgo.

378.

Ep. 80.

1. *satyri*] rustica de planta satyrii bulbos legit, testiculorum humanorum formam referentes.

2. *vulneris alta*] i. e. altum vulnus.

3. *illam p. solatur*] B. *illum p. soletur* vulgo.

4. *parili t. carere*] B. *pariete teste gemere* vulgo.

5. *figuris*] B. *figuras* vulgo.

379.

Ep. 81.

1. *nilus*] *Nilus quam r. parit fluentis,*
Extendens colocasia ampliores
Ramos, per spatium virens amoenum.

B.

5. *vertit*] i. e. mutavit naturam umbram praebendo, ita ut in tecto plus vireat quam horto solet.

380.

Ep. 82.

3. *gerat*] prima longa.

5. *possim*] an *possem?*

381.

Ep. 83.

1. *Laida*] pro nominativo accipio.

4. *philosophum*] prima longa.

382.

Ep. 84. *Epitalamium Fridus a Luxurio V. C. Spectabili dictum. Centon.* ms. Salm.

60. *animum*] *animo* vulgo.

65. *flagranti*] *fragranti* vulgo.

383.

Anth. III. 27. in ms. Vossiano inscribitur *Luxuri in anclas, in salutatorium domus regis.* Quid sint *anclae,* B. docuit ad V. 181., Meermannus ad V. 182.

1. *factum*] *saxum* Schrader. *tectum* B. Add. T. II. p. 732.

3. *quos*] *quod* ms. Voss.

5. *iuncta*] *vincta* Heins.

6. *steteris*] *steterint* ms. Voss.

384.

Anth. III. 41. in ms. Salmas. legitur inter Luxorii carmina.

5. *sarsura*] i. e. opus musivum.

7. *ignis amoenus*] *ignis ahenis* B. coll. Add. T. II. p. 733.

13. *discurrunt*] Anth. III. 33, 1. *Tranquillo Nymphae decurrite fluminis ortu,* unde alterutrum corrigendum iudicabat Schraderus Add. T. II. p. 733.

14. *vitrea — unda*] Schrader. Ant. de Rooy Add. T. II. p. 733. *vitrea umbra* vulgo.

15. *tibi sunt monumenta*] B. *haec tibis monumenti* mss. Salm. Leid. vulgo deest *sunt.*

16. *et decorata manent cl.*] B. *et decoratam ac claros* vulgo. *et decorata ma claros* ms. Salm. *et decoramenta ad claros p. s. nepotes.* Oudend.

385.

Anth. V. 133. Wernsd. Poet. lat. T. II. p. 57 et 157. Encheriae carmen in servnm invehitur, qui nuptias eius ambierat.

2. *setarum*] *secarum* ms. Thuan.

3. *texta*] Heins. *tecta* vulgo.

5. *burrae*] *byrrho* Heins. Sed *burrus* et *burra* pro penula russei coloris dicitur. Conf. Wernsd.

7. *margarita*] *margareta* ms. Thu.

9. *Leuconico*] *lenconico* mss. Thu. Leidens. Leuconum oppidum inferioris Pannoniae ad Savnm amnem. Wernsd.

smaragdus] ms. Thu. *zmaragdus* vulgo.

10. *eat*] ms. Thu. Heins. *erat* vulgo.

11. *rupibus atque*] *rupique atque* ms. Thu.

14. *purpureamque*] ms. Thu. *perspicuamque* vulgo. *praespicuamque* ms. Leid.

15. *dispectis piscibus*] An *despectis piscibus?* um gemeiner Fische willen.

17. *auratam*] i. e. Goldfisch, *crassantus* i. e. rana, bufo, vel stellio. Wernsd. *cercyros* B.

18. *tructa*] *trucca* ms. Thu. *trutta* B.

20. *perspicuam*] *praespicuam* ms. Leid.

21. *onagro*] *onagris* ms. Viennensis, qnem contulit Kramerus (Hauschronik p. 215.).

22. *bovi*] *novi* uon *navi* ms. Thn. *cani* B. inprobante Wernsd.

23. *vitient nunc lasera*] Dn Cange in Glossario Med. et Inf. Lat. v. *lausera.* — *vitiet nunc lausera tetra* vulgo. *nectareum bovitiet nunc lauserat et raro factum* ms. Thu. *nectareum viciet nunc laus erat etra rosarum* ms. Viennensis. *Laser* est asa foetida sive σίλφιον.

24. *fellis*] pendet a *malis*, nisi *fellis* pro fellibus nove dictum est.

25. *barathrum*] *baratrum* ms. Vienn. *bratum* ms. Leid.

26. *mixtis*] mss. Leid. Thn. *mistis* vulgo.

28. *gravi*] non deest teste Silligio in ms. Thn., nti B. retulerat. mox *filomella sonat* ms. Leid.

29. *perspicua*] *praespicua* ms. Leid.

cavannus] mss. Thu. Leid. nec aliter hic versus in carmine qnodam legitur, quod Kramerus in Praefat. ad Schol. Iuvenalis p. 16. edidit. — *tavanus* vulgo.

31. *incestis mutent sibi*] mss. Thu. Leid. *incertis mutent sibi tempora fortis* ms. Vienn. *haec monstra incertis mutent sibi tempora fatis* Kramerus ac Beierus (Archiv v. Seebode 1825. p. 155.). *factis* ms. Mabillonii. *Haec monstra* nominativus est, qnem Wernsdorfius pro accusativo habet. *mutet* vulgo.

32. *Eucheriam*] *evoeriam* ms. Vienn.

386.

Anth. II. 264. Hoc epigramma inter carmina Eugenii, qui episcopatum Toletanum inde ab a. 646. usque ad a. 657. tenuit, et de quo Fabricius in Bibl. Inf. et Med. aet. T. II. p. 121. scripsit, legitur, sed in ms. Bibliothecae Septimanae alio versuum ordine exhibetur:

Moyses primus Hebraeas exaravit litteras.
Mente Phoenices etc.
Quas Latini scriptitarunt, condidit Nicostrata.
Abraham Syras etc.
Isis arte non minori etc.
Gulfila etc.

Sed in tribus mss. Iuliano tribuitur, ut Scaliger ad h. l., et Meutelius in Add. T. II. p. 730. testatur. Iulianus idem est, qui inter scholasticos poetas infra nominabitur. Versus trochaici tetrametri catalecti.

1. *Möyses*] *Primus Hebraeas Möyses exaravit litteras.* Gerh. I. Vossius de art. gr. I. 9.

5. *Nicostrata*] mater Evandri, quae alio nomine Carmentis. Unde Maximus Victorinus Art. Gr. c. 18. latinas litteras ab Evandro in Italiam allatas esse scribit. Conf. Salmas. ad Solin. p. 43.

6. *Gulfila*] ultima positione fit longa. *Gulphilas* G. I. Vossius.

387.

Anth. V. 164. In Sirmondi editione Opusculorum Eugenii legitur p. 17. Inscribitur vero in Catalectis Petronianis *Domini Evantii V. C. de ambigenis animantibus.*

7. *lupus et catulae*] *at lupus ex catula format coeundo lyciscam* B. Add. T. II. p. 699. *lupus et catula* vulgo.

388.

Anth. V. 46. In libro de computo, qui insertus est a Muratorio Tomo III. Anecdot. lat. p. 160., hoc carmen Sisebuto tribuitur. Atque Meermannus, erudite de vita et scriptis Sisebuti regis, qui Gundemaro regi Gotho a. 650. in Hispania successit, disserens, non alium auctorem carminis esse docuit. Pithoeus Fulgentio, Scaliger et Scriverius P. Varroni Atacino, ad quod illud Salmasii pertinet in Plin. Exercitt. p. 796.: *Poema illud non rectiore iudicio tribuitur Varroni Atacino quam Pervigilium Veneris Catullo,* Mansi in T. VI. Fabricii Bibl. lat. Med. et Inf. aet. p. 195. Sisebuto cuidam monacho, non regi, vindicabant.

1. *luco*] *lucu* ms. Leid.

lentus vaga] *luco sub fago* B. *vaga* i. e. levia, leichte Lieder, heitere Gesänge.

gignis] *pangis* vel *fingis* H.

2. *argutos*] *arcutosque in* ms. Leid. Verte: und am klaren Quell und beim Säuseln des Windes. Wernsd. Poet. T. VII. p. 291. per *argutos latices* et *musica flabra* intelligit organon hydraulicum.

flabra] *labra* ms. Leid.

3. *Pierio*] *pyerioliquidam* ms. L.

6. *tundunt*] *obtundunt* H.

7. *vehimur, portusque nivosos*] liber Cardinalis Rohanii. Portus nivosos intelligo de faucibus seu claustris Pyrenaeorum montium, quae a copiis regis Sisebuti, Vascones oppressuris, transeunda erant. Latini sequiore aevo *portus* adhibuere hac ipsa significatione. Meermannus. — *ferimur. porro usque nivosus* vulgo.

9. *frondea*] *ut crinem fronde Daphnaea Succingant, hederave comas a. u.* H. *frondea* frondes valet. *En quibus indicas* explico: talis ego sum, cui mandas, ut carmina pangam.

12. *pernices*] *pernicies* ms. Leid.

13. *pigens*] *pigrens* vel *piger* Cuperus. *volucrem repens testudo* H. Corrigend. T. II. p. 785. *Pigens* ab obsoleto *pigere* derivatur, quod auctore Festo interdum pro tardari poni solet: *pigens* ergo pigrum significat.

15. *sed tamen*] *stamen* ms. Leid.

incurvus] aber dennoch, wiewohl ich mit gebogenem Rücken durch die Lasten der Erde mich ziehe, will ich sagen etc. Barthius Adv. XXXVII. 20. aliter construit, *incurvus circulus* iungens pro rotundo.

16. *livescat*] *lidescat* ms. L. *Quur fesso Luna libescit c. o.* ms. Muratorii.

circulus] int. lunae, die Mondscheibe.

17. *oris*] *horis* ms. Mur.

19. *praedira*] *phaedira* ms. Leid.

21. *vel rore*] *Lethaeo* vel *Aemonio* Barth. ad Stat. Theb. II. 284.

saniem d. i. h.] ex ms. supplevit Barth. l. l. vulgo desunt.

22. *aethram*] *atram* ms. Leid.

23. *citimus*] prima brevi, antiqui eam producunt. Hand. ad Tursell. T. II. p. 74.

turbida puris] Supra Lunam omnia aeterna, infra omnia caduca credebant. Barth. Adv. XXXVII. 20. *qua timus l. dispicit turpida* ms. Leid. a 1m.

27. *pallescit, teres umbra*] Ad *pallescit* intellige *luna; tellus* autem, quod v. 24. est, spectat ad *detinet.* i. e. der Mond wird verdunkelt, bis der kegelförmige Schatten des Erdballs nicht mehr auf die Mondscheibe fällt.

28. *speculoque rotanti*] i. e. Lunae rotanti, ut Sol rotans pro volvente.

30. *quia*] Scaliger. *qua* vulgo.

31. *bis novies*] Idem in Ciceronis Acad. II. 26. legitur. Conf. I. I. Ochsnerus ad Ciceronis Eclog. p. 317. Hic locus memorabilis est, quia inde a Ciceronis temporibus usque ad Sisebuti aevum astronomiam nihil profecisse patet.

41. *victa umbra*] *recta umbra* B.

42. *gelidos*] ms. Leid. *validos* vulgo.

51. *semper m. a. c. solem*] supplevit Scriverius Add. p. 697.

59. *indiga*] i. e. quando rota corporis, indiga lucis almae, luna, meat inter terram et solem.

389.

Anth. V. 116. A Pithoeo, Salmasio, Burmanno hoc carmen sub Bedae nomine vulgatum est, sed Fabricius in Biblioth. lat. Med. et Inf. aet. T. I. p 521. docuit, auctorem esse Wandalbertum Prumiensem Diaconum, qui circa annum 850. vixit. Aliud Horologium, quod Beda confecerat, imagine expressum est in Opp. eius T. I. p. 465. ed. Hervag. a. 1563.

1. *quos cursus*] construe: *Quos menses iungant cursus solis sua tempora*, i. e. qui menses spatio dierum inter se conveniant. Welche Monate in ihrer Tageslänge mit einander korrespondiren durch den Stand der Sonne.

4. *paribus — punctis*] Palladii Ianuarius §. 23. Hic mensis in horarum spatio cum Decembri mense convenit. Conf. Aldi commentarium ad Pallad. p. 65. ed. Schneid.

5. *quae volvit*] Pallad. Februarius 34. Hic mensis in horarum mensura cum Novembri mense concordat.

6. *Martius*] Pallad. Martius 16. Hic mensis ad deprehendendas horas consentit Octobri.

7. *tum, Septembre*] Pallad. Aprilis 9. Huius mensis horae horis mensis Septembris aequantur.

8. *Augustum*] Pallad. Maius 18. In horarum mensuris Maius respondet Augusto.

9. *Iunia*] Pallad. Iunius 13. Iunius ac Iulius horarum sibi aequa spatia contulerunt. — Iunius eandem solis orbitam, quam Quiutilis, habet.

10. *oras*] i. e. quae orae umbrarum in horis singulorum mensium sibi conveniant, welche Schattengrenzen in den verschiedenen Stunden übereinstimmen. *horas* Pithoeus.

12. *prima undecimae*] Constat itidem ex horologio Palladii, horam primam et undecimam eandem per omnes menses habere mensuram, etsi diverso mense diversam, tum secunda decimae est similis, tertia nonae, quarta octavae, quinta septimae, sexta vero nulli longitudine umbrarum par est.

19. *quos superant*] legendum: *quo superent* int. horae, vel *quae superent*. Nunc descripturus est Wandalbertus mensuram singularum horarum, quo modo singulae horae mensium augeant minuantque. Verbinde nun diese Stunden in allen Monaten, und berechne, in welcher Schattenlänge sie zunehmen und abnehmen, in welchem Maasse sie länger und kürzer werden.

29. *ab ipso Danubio*] Hoc horologium usui erit inde a Danubio, ubi a vespere ad ortum vertitur, usque ad Lugdunum adversus septentrionem. Gnomon enim Lugdunensis adversus septentrionem sive versus

Britanniam umbras spargit. Iure idem gnomon Lugduni ac Viennae, ubi Danubius fluit, utroque loco adhiberi potest, quia utraque regio sub eadem fere latitudine sita est. Ostwärts wirst du diese Sonnenuhr richtig finden bis an die Donau, und nordwestwärts bis nach Lion.

37. *nequit in vanos*] i. e. non in eandem metam recurrit: numquam enim in eandem metam alter mensis desinit, a qua sequens incipit.

41. *horarum*] hunc versum adiecit Pithoeus in suo exemplari. B. eum omisit.

44. *sequens*] secunda linea.

54. *qui*] an *quae Februum mensura* etc.?

78. *undenis clarum* etc.] Casaub. *undeni solarum condud tertia cursum* vulgo.

80. *septem quinta*] correxi. *septa quinta* vulgo. *septima quinque tenet* B. male, cum septima orbita vel horarum mensura non existat.

390.

Anth. V. 68. Legitur in Opp. Bedae T. I. p. 476. ed. Hervagian. a. 1563. In ms. Scalig. inscribitur *Versus Bedae Presbyteri de ratione compoti*. Beda natus est a. Ch. 672., moritur a. 735. Heeren Gesch. d. Philol. T. I. p. 113. Fabricii Bibl. lat. Med. et Inf. aet. T. I. p. 185.

1. *mensum*] *mensium* edit. Hervag.

2. *duabus*] *duobus* vulgo [corrige context.].

3. *tercentum*] *centenis bisque tricenis quinque d.* edit. Hervag.

6. *concurrere*] *concedere* edit. H.

9. *patet*] *petet* edit. H.

10. *simul pares*] metro violato. *octonisque pares simul hi sunt Id. omnes*. B.

13. *at*] *et c. c. nonis bis r. quaterni* edit. H.

14. *et ipse*] *ipse et* edit. H.

391.

Anth. V. 70. Wernsd. Poet. lat. T. I. p. 383 et 598 sqq. In ms. Voss. est *Bedae venerabilis Presbyteri Cuculus*; in ms. Leid. *Conflictus veris et hiemis*; in ms. Pithoei *Virgilii de contentione veris et hiemis*; in ms. Bibl. Colbertinae *Milonis Sancti Amandi Elnonensis monachi conflictus veris et hiemis*. (De hoc *Milone* monacho scripsit Fabricius in Bibl. lat. Med. et Inf. aet. T. V. p. 79.) In ms. Goth. legitur *Ovidius Naso de cuculo.*, adnotante Duebnero in Iahnii Ann. 1828.

2. *pecudum*] *pecodum* ms. Turicensis.

3. *arborea*] *arboreas* ms. Tur.
laetas] *laeti* ms. Gothan.

7. *rigidis*] *rigidus* ms. Tur.

9. *ternos*] ms. Colbert. *terno* vulgo.

10. *carissimus*] ms. Colbert. *gratissimus* vulgo.

12. *rutilo — rostro*] mss. Tur. Colbert. *modulans bona carmina nostro* vulgo.

16. *germine*] *carmine* mss. Tur. Goth.
17. *comes*] *comis* ms. Tur.
18. *crescentem*] *crescente* ms. T.
23. *gravis*] *gravi* ms. T.
24. *Veneris*] ex ed. Francofurt. Wernsd. ms. Goth. *veniens* vulgo.
28. *ore refert*] ms. Colbert. *o referet* ms. Tur. *ore feret* vulgo.
et mella] mss. Colb. T. *et vina* vulgo.
29. *domos*] ms. Colbert. *domus* T. vulgo.
30. *vestiet*] *vestiget* ms. T.
33. *cibis*] *civis* ms. T.
34. *tarda hiems*] *tu frigida hiems* ms. Goth.
36. *aut aestas*] *si ver aut aestas tibi nulla vel ante laborat* ms. Colbert. *si ver vel aestas ante tibi nulla laborant* mss. Tur. Goth. *si ver atque aestas* etc. Duebnerus. *si ver ver aestas ante te nulla laborant.* vulgo. *si ver, autumnus, aestas tibi nulla laborant.* B.
38. 39. vulgo inverso ordine leguntur.
39. *iam mihi*] mss. T. Colb. *nam mihi* vulgo.
40. *superbis*] *superbus* mss. T. Colb.
43. *e sede*] om. *e* ms. Goth.
45. *hiems*] mss. T. Colb. *tuens* vulgo.
46. *veniat*] *veniet* T.
49. *et virides*] hic versus in ms. Colb. et Tur. extat, vulgo deest.
praestent] *praestant* T.
50. *veniantque*] mss. Colb. T. *veniant* vulgo. *venientque* ms. Goth.
51. *salutent*] *salutant* ms. T.
52. *cuculus*] *cuculi* ms. Goth.
54. *tellusque polusque*] *tellusque salutant* ms. Colb.
55. *cuculus*] *cucule* ms. Goth.

392.

Anth. V. 149. Wernsd. Poet. T. VII. p. 182 et 289.

Inscribitur in ms. Sangallensi *Versus Iulii Sperati de Philomela*, et sub nomine Iulii Sperati Viri Clarissimi edidit Goldastus probante Fabricio in Bibl. lat. Med. et Inf. aet. T. IV. p. 203., atque Wernsd. — B. Goldasti editionem ignorabat, nec de auctore elegiae aliquid adnotavit. Ms. Leid. inscribit *Incipit versus de filomella.* In ms. Turicensi nulla est inscriptio. Paulus Alvarus Cordubensis, monachus seculi noni, in duobus de Philomela carminibus elegiam imitatus est.

1. *socia, sum*] mss. Turic. Gold. Leid. *socia, et sum* vulgo. cf. v. 9. 11. 13.

3. *traducit*] *insomnem filomela transducit carmina noctem* mss. T. Leid.

6. *Ovis*] *ne noceat ovis* mss. T. L.

7. *Dic*] *Pestem dic age nunc poteris depellere cantu* ms. T. *Pestem, dic age, num poteris depellere cantu?* Goldastus.

8. *ut possim*] *ant p.* mss. T. Gold. Leid. Wernsd.

9. *Vox*] *Vox filomela tua citharas in c. vincit*
et superat miris musica fibra modis
vox f. tua curarum s. pellit
vox f. tua cantus educere cogit
inde sui laudem rustica l. canit
recreat et blandis a. c. sonis
florea ruram colis

ms. T. ms. Goldasti similem, nec tamen parem, transpositionem versuum continere videtur.

tua cantus] mss. T. Gold. Leid. *tuos* vulgo.

11. *tua citharas*] mss. T. Gold. Leid. *tua et citharas* vulgo.

12. *musica flabra*] i. e. tibiarum flatum.

13. *tua curarum*] mss. T. Gold. Leid. *tua et cur.* vulgo.

16. *pignora m. foves*] i. e. pullos educas. Wernsd.

17. *ecce tuis*] *et coetus* mss. T. Leid.

19. *hirundo*] *aëdon* H. B. mire, cum aedon et philomela eadem sit avis!

20. *cedat*] *cedit et inlustris psita cusore tibi* T.

21. *tuos*] *tuis* T.

22. *murmure*] *murmura* T.

23. *tremulos* — *susurros*] *tremulus* — *susurrus* T.

24. *suavi* — *pange*] *suavae* — *pange* T. *suavi* — *pande* vulgo. *suave pangere* ms. Leid.

25. *auribus escas*] T. *viribus escas* ms. Leid. *auribus odas* vulgo.

26. *nolo t. v. nolo t. velis*] T. Leid. Gold. Wernsd. *nolo tacere velis, volo tacere cupis* vulgo.

393.

Anth. V. 138. Inter Theodulfi, qui Caroli Magni aequalis erat, carmina edidit Sirmondus.

15. *sellam*] B. *sellae* vulgo. *sellam ait adnexam* Pithoeus.

394.

Anth. II. 136. Gerbertus pontifex Romanus Sylvestri Secundi nomine ab anno 999—1003. fuit. Conf. Fabricius in Biblioth. lat. Inf. et Med. aet. T. III. p. 44. et Heeren. Gesch. der Philologie T. I. p. 157. 164 sq.

8. *praeclara morte*] a. Chr. 524.

9. *summa qui prorogat arte*] Schrader. *summas qui praegravat artes* vulgo.

10. *Tertius Otto*] huius imperatoris praeceptor erat Gerbertus. Boethii scripta in bibliotheca sua collocavit Otto, eaque res a Gerberto his versibus celebratur.

395.

Anth. III. 5. Wernsd. Poet. T. IV. p. 65 et 206. Hildebertus Cenomanensis, post episcopus Turonensis, diem obiit a. 1139. (Fabric. Bibl. lat. Med. et Inf. aet. T. III. p. 256.) De hoc carmine, quod alii vetustiori poetae vindicabant, Lessingius quoque disputat in Opp T. XIV. p. 381.

5. *ille labor*] *illa* ms. Turicensis C. 58.

dirus] *durus* m. 2d. Tur.

7. 8. ex Hommeyi editione recepit Wernsd. Vulgo desunt. In Tur. a 2d. m. prior legitur: *quem gladium regum quem provida cura senatus.*

10. *socius*] *sociis* Oudend. Add. T. II. p. 731.

12. *ope*] *opes* Tur.

13. *in quem*] *in quam* B.

deorum] Opitius. *priorum* Tur. vulgo.

14. *hospitis, unda locum*] *hospitis una locum* Tur. *hospitii* B. *unda, locus* Hommeyius.

18. *opem*] *opes* Tur.

19. 20. in Tur. desunt.

